494
7

EXERCITATIO ACADEMICA,

DE

RELIQVIIS SACRAMENTI IN MATRIMONIALIBVS,

Vbi

Oſtenditur, recte quidem reiectum eſſe a noſtris, Theologis pariter & ICtis, illud Pontificiorum dogma, quo matrimonium dicitur Sacramentum, pleraſque tamen concluſiones illius falſi principii adhuc hodie ſupereſſe atque a noſtris defendi, quamuis nullo alio ſolido fundamento nitantur.

Dirigente

IO. SAMVELE STRYKIO, ICTO.

In forma diſſertationis a Io. PHILIPPO ODELEM, I.V.L. habita,

Cui nunc acceſſit

INDEX RERVM ET MATERIARVM vberrimus.

CVM PRIVILEGIO.



EDITIO SECVNDA.

HALÆ, Litteris Orphanotrophii, A. MDCCVI.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

בצורת משולש:

PROLEGOMENA.

NIhil eſt, quod efficacius inhæreat animis, quam inueterata principia; hæc enim poſtquam ſemel occuparunt animum, non modo difficulter ſe expelli patiuntur, ſed & eiecta licet maiori vi, tamen quasdam ſemper relinquunt particulas, vt ſic animus illis principiis aſſetus facile concluſiones inde ortas ſæpe ignoranter retineat. Quo & facit notiſſimus ille verſiculus: *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem,*
Teſta diu.

Ita videmus illos, qui ex Iudæis ad Chriſtum conuerſi erant tempore Apoſtolorum, haud dubie priora principia ſua, poſtquam veritate Chriſtiana imbuti erant eamque agnouerant, dereliquiſſe, conuicti, deſiiſſe nunc omnem cultum Leuiticum vmbratilem, poſtquam verus cultus diuinus, qui in ſpiritu & veritate perficitur, per Chriſtum fuerit reſtitutus Ioh. IV. 21. 22. 23. Interim tamen in ipſa applicatione ad negotia ſpecialia ſæpiſſime hæſitabant, atque vt conſeruarentur quidam ritus, qui tamen ad priorem cultum ceremonialem pertinebant, admodum erant ſolliciti. Hinc deſiderabant, vt nouiter ex Gentiliſmo conuerſi circumciderentur, & Sabbatha a Deo in V. T. inſti-

tuta obſeruarentur; quibus propterea magno conatu ſe opponebant Apoſtoli, ne ita ad priorem cultum Leuiticum & antiquas traditiones, quas tamen Chriſtus ſuſtulit, reducerentur. Vid. Act. XV, 5. ſeqq. Epiſt, ad Gal. tota. Eodem modo illi, qui ex Gentilismo conuerſi erant, multas adhuc ex principiis gentilibus reſultantes concluſiones fouebant, exiſtimantes ſufficere, ſi modo quacunque ratione ad doctrinam Chriſtianam accommodari poſſent. Inde tot reliquiæ gentilis Philoſophiæ in multis etiam Patribus eccleſiæ adhuc reperiuntur; quod philoſophandi genus illi quidem bona intentione retinebant, vt ita Ethnicos ex propriis principiis eo melius conuincere poſſent, quo tamen ipſo vis Spiritus S. magis diminuebatur, ac tandem fundamenta Theologiæ Scholaſticæ, quæ poſtea tantopere caput erexit, ponebantur. Inde etiam, maxime Conſtantini & ſubſequentibus temporibus varia ex ſuperſtitioſo cultu gentilium, in religionem & cultum externum Chriſtianorum transferebantur. Quæ omnia, cum ab aliis iam demonſtrata abunde ſint, hic tantum ſummo digito tetigiſſe ſufficiat.

Idem vero, vt ad noſtra ſtatim tempora progrediamur, in eccleſiis Proteſtantium, vt vocantur, pariter obſeruari, ſummopere dolendum eſt. Poſtquam enim diuina gratia detectis tenebris papatus, nobis ſerenior Euangelii lux affulſit, iure quidem meritoque falſa papiſmi principia, non niſi ſummam ſuperſtitionem tyrannidemque ſpirantia reiecimus. Aſt, cum non ſingulis rebus ſatis intenti fuerint noſtri, nihilominus contigit, vt quam plurima in eccleſiis

noſtris

noſtris reliqua manſerint, quæ non niſi ex Papatu originem trahunt,& tamen apud nos in ſummo vigore ſunt. Nihil hic imputamus ſummis viris,quorum miniſterio Deus in opere reformationis vſus eſt. Fecerunt, quod potuerunt. Cum vero in diſpergendis tenebris illi initium fecerint, nec omnia vno tempore perfici potuerint, non potuerunt non multa remanere ſucceſſiuo tempore repurganda. Atque hoc etiam optauit vehementer B. Lutherus, vt ſucceſſores ſui in doctrina & fide Euangelii continuarent opus cœptum, nec acquieſcerent, vsque dum tota eccleſiæ facies priſtinæ puritati eſſet reſtituta. Cum vero ſtatim poſt Lutheri tempora, eius etiam ſpiritus & fides deficere inciperet, & creditum fuerit, opus reformationis iam completum & conſummatum eſſe, hinc per imprudentiam & negligentiam factum eſt, vt fere innumera, quæ tamen emendationem neceſſario deſiderabant, intacta fuerint relicta, quæ, ſi accuratiori lumine illuſtrantur,tantum ex principiis papiſmi originem trahunt, & veræ doctrinæ Euangelii, indolique noſtræ eccleſiæ, nullo modo conueniunt.

Integro volumine opus eſſet, ſi hæc omnia nunc ante oculos ponere vellemus, multa etiam ſparſim iam ab aliis detecta ſunt. Vnicum tantum exemplum, & quidem tale, quod haud dubie ad forum ICtorum pertinet, hic ſiſtemus, ex cauſis matrimonialibus. Notum eſt, commune Pontificiorum principiũ eſſe, quod matrimoniũ ſit ſacramentum. Verum,cum hoc ipſum tanquam ſacræ ſcripturæ nullo modo conueniens omni fundamento deſtituatur, & ex mera ſuperſtitione natum fuerit, noſtri & Theologi & ICti illud

vnanimiter & recte quidem reiiciunt. Quodſi autem caſus circa matrimonia occurrentes percurrimus, non paucæ reperiuntur deciſiones, communi Doctorum calculo approbatæ, & in Conſiſtoriis receptæ, quæ tamen ex nullo alio principio deſcendunt, quam ex illo cuius modo meminimus. Hinc putauimus non inutilem nos ſuſcepturos eſſe operam, ſi peculiari diſſertatione illud omnium iudicio exponamus, agendo *de Reliquiis ſacramenti in matrimonialibus*; cum ſane neceſſum ſit reiicere ea, quæ falſo nituntur principio, nihilque in foro admittere, quod non iuſto legitimoque fundamento, & veris ac indubitatis conſtat principiis.

Ne autem in primordio ſtatim quis hæſitare neceſſum habeat, ex qua cauſa tot adhuc ſuperſint reliquiæ, oſtendemus paucis, ſoli negligentiæ & ſocordiæ Doctorum hoc adſcribendum eſſe. Vbi (1) fundamentum totius rei eſt, quod Doctores in matrimonialibus ſequantur ius Canonicum, cum tamen pleræque ſi non omnes illius iuris deciſiones in cauſis matrimonialibus ex illo principio fluant, quod matrimonium ſit ſacramentum. Itaque non potuit aliter fieri, quam vt hac ratione multæ concluſiones illius principii fuerint retentæ & in vſum fori introductæ: quas deinde conquiſitis vndique rationibus, ſæpe miſeris, defendere cœperunt Doctores. Vnde in omnibus fere caſibus matrimonialibus probationes ex iure Canonico petunt: cuius tamen autoritas in terris proteſtantium nulla eſt. Neque ſufficit dicere, ſemel tamen illud receptum eſſe, nam illa receptio

ex ignorantia facta, & vitioſa eſt, atque nullius efficaciæ, quia ius Canonicum hac in parte principiis religionis ſuæ nititur, quæ noſtræ religioni manifeſto contraria ſunt. Accedit (2) quod Doctores noſtri pleraque, potiſſimum in cauſis matrimonialibus, ex ſcriptoribus pontificiis, quos etiam frequentiſſime allegant, ſine iudicio exſcripſerunt, non conſiderantes, quod eorum deciſiones pariter eodem nitantur principio. Hinc (3) a ſententiis ſemel receptis & autoritate ſua ſtabilitis poſtea iterum recedere ſibi ignominiæ duxerunt & potius mordicus easdem defendere anniſi ſunt. Decepti etiam (4) ambiguo nominis ſono, dum apud nos matrimonia omnia, modo copula ſacerdotali contracta, ſancta dicuntur, quo ipſo exiſtimarunt, non poſſe non eadem eſſe ſpiritualia. Cum ergo (5) hac ratione tales opiniones præiudiciis conſiſtoriorum & collegiorum iuridicorum fuerint approbatæ, his tanquam certiſſimis fundamentis tuto ſe inniti poſſe exiſtimarunt. Vt plura nunc taceamus.

Veniam itaque nobis pollicemur a B. L. ſi hic remoto omni præiudicio, interdum paulo liberius de communi Doctorum ſententia fuerimus loquuti, cum res ipſa id poſtulet. Non enim potuimus aliter, quam ita de re diſſerere, vti eſt. Sit interim in ceteris ſalua Doctorum quorumvis autoritas, cui nihil detractum volumus, modo illi etiam autoritate ſua nihil detrahant veritati, quod tamen hactenus factum eſt. Vnde non ægre feret B. L. ſi nos vt plurimum cum Carpzouio concertare viderit, ſiquidem eius autoritate, quæ hactenus in conſiſtoriis ad ſuperſtitionem

vsque

vsque plus quam lex & ratio valuit, multa recepta ſunt, quæ ex reliquiis illius principii papiſtici adhuc deprehenduntur: quin quod is etiam, quas modo excogitare potuit, rationes conquiſiuerit, pro ſtabilienda communi ſententia, quibus ſingulis ſatisfaciendum erat. Intereſt itaque tolli hoc præiudicium auctoritatis, demonſtrarique, Carpzouium etiam errare potuiſſe, &, potiſſimum in cauſis eccleſiaſticis, ſæpenumero erraſſe. Ceteroquin magni facimus celeberrimum hunc ICtum, & dolemus tantum, quod grauioribus negotiis occupatus, non potuerit omnia ac ſingula accurate ponderare, quo fundamento nitantur, atque adeo nimis facilis fuerit in amplectenda communi ſententia. Tandem vti nulli mortalium noſtram obtrudimus ſententiam, ita vt alii quoque ſuas nobis non obtrudant, ſed nos libertate noſtra, in Academiis recepta, frui patiantur, maiorem in modum rogamus.

DEVS interim huic etiam labori benedicat ex alto faxitque, vt fructus inde vberrimi in rem publicam pariter & eccleſiam reſultent, ac adeo diuini nominis ſui gloria omni occaſione ampliſſime promoueatur.

CAP. I.

498

ביה יהוה

CAP. I.

DE SACRAMENTO MATRIMONII, PONTIFICIORVM COMMENTO.

§. I.

CVm ergo, Deo feliciter auſpicante, agendum nobis in præſenti diſſertatione ſit de reliquiis principii papiſtici, quo matrimonium pro ſacramento venditatur, neceſſarium omnino eſt, vt antequam reliquias illas ordine exponamus, prius ipſum Pontificiorum principium ad examen reuocemus, & falſa commentitii illius ſacramenti fundamenta detegamus; vt poſtea eo facilius demonſtrari poſſit, falſas quoque eſſe concluſiones, quæ ex tali principio ſequuntur, & iure meritoque a nobis repudiandas. Ratio huius capitis.

§. II. Verum ſatisfaciendum prius, quam ipſam rem aggrediamur, illis eſt, qui neſcio, qua præconcepta opinione, omnem ICtis diſquiſitionem circa controuerſias Theologicas denegant, ac proinde nobis ſtatim ab initio obiicient, pertinere tractationem huius rei ad Theolo- ICto non licere doctrinas Theologicas tractare,

ologos, atque adeo male de ea controuerſia hic in diſſertatione iuridica agi, niſi μετάβασις εἰς ἄλλο γένος committi debeat. Aſt quam peruerſa ſit horum ſententia, facili negotio quam plurimis argumentis demonſtrari poſſet, ſi non grauiora nobis adferenda eſſent, nec lubricum illius ſententiæ fundamentum a ſanioribus, his maxime temporibus, ſatis iam ſuperque eſſet detectum. Nos quia de reliquiis papatus hic ex parte agimus, non dubitamus, illam ſententiam inter reliquias papatus primo loco connumerare. Vnde enim originem traxit diſtinctio inter Clericos & Laicos, & in vernacula lingua unter geiſtliche und weltliche? Certe iuri diuino illa oppido eſt contraria: Nam Spiritus ſanctus omnes fideles vocat clerum, 1. Pet. V. 3. vbi & in ſpecie clerum a presbyteris diſtinguit. Quam ergo abſurdum eſt hoc ad eas tantum perſonas, quæ eccleſiaſtica ſuſtinent officia reſtringere. Annon etiam omnes Chriſtiani ſpirituales eſſe debent? *vid. Rom. VIII. 9. Gal. VI. 1.* an externum aliquod officium aliquem ſpiritualem aut mundanum reddit? Spiritus ſanctus ſane longe aliter loquitur. Porro quod ſcripturam ſacram tractare non omnibus liceat, ſed certis tantum hominibus, quos Theologos vocant, vnde eſt? An Scripturam ſacram ſcrutari tantum Theologis, an non omnibus hominibus iniungitur? Si hoc, vti id ex *Rom. XII. 2. Epheſ. V. 10. Phil. I. 9. 10. 1. Theſſ. V. 20. 21. 1. Ioh. IV. 1.* ſatis patet, dum & Apoſtoli epiſtolas ſuas non ad Theologos, ſed ad totum populum Chriſtianum ſcripſerunt; haud dubie omnibus ius erit in veritatem diuinam inquirendi, & omnes, quæ mouentur, quæſtiones examinandi, an principiis ſcripturæ ſacræ conueniant, an ſecus. Non enim iudicabuntur homines in extremo iudicio ſecundum receptas Theologorum ſententias, ſed

eſt ex reliquiis papatus. Item diſtinctio inter Clericos & Laicos.

ſecun-

ſecundum veritatem ſcripturæ ſacræ. Vnde ergo eſt, quod, de diuinis veritatibus tantum Theologis agendum, & quod ab iis ſtatutum, ab aliis omnibus cæco impetu amplectendum eſſe, dicatur? Vnde hæc omnia ſunt? Ex papatu ſunt, & nullo alio fundamento nituntur. Miſeri ergo, imo terque quaterque miſeri ſunt ICti & omnes alii, qui non Theologi vocantur, ſi horum tantum ſtare arbitrio, & in verba eorum iurare tenentur. Hoc enim nihil aliud eſt, quam dominatus papalis. Proteſtamur ſolenniter, nos hic nullam maculam inurere velle Theologis cordatis Theodidactis, vtpote qui nunquam tam exitioſum monopolium ſibi arrogare ſolent, ſed potius vt omnes prophetarent cum Paulo optant *1. Cor. XIV. 5.* Illis tantum hæc perpendenda relinquimus, qui pleni arrogantia & philautia ſibi ſoli ſapiunt, & placita ſua tanquam mandata & leges Dictatorum inſtar omnibus præſcribere ſolent, cum excommunicationis fulmine proſequentes illos, qui vel dubitare de ſententiis ſuis audent. Vbi non poſſum, quin adducam verba Lutheri, quæ habet in libro *de inſtituend. miniſt.* vbi, poſt varia loca ſacræ ſcripturæ, quæ adduxit, ita loquitur: *Cum ex his locis robuſtiſſime & clariſſime fundatum ſit, miniſterium verbi potiſſimum in eccleſia eſſe prorſus vnicum, & commune omnibus Chriſtianis, non modo iure, ſed etiam præcepto, quare & ſacerdotium non niſi vnicum & commune erit: vt nihil valeant aduerſus hæc diuina fulmina, infiniti patres, innumera concilia, æterna conſuetudo, & vniuerſa mundi multitudo, quibus ſtipulis ranæ laruæ nituntur ſacerdotium ſuum ſtabilire.* Sed dixeris, ex conſtitutione tamen principum diſtincta eſſe officia Theologorum & ICtorum: reſpondeo, parendum vtique principibus, ſed hi tantum prohibent, ex profeſſo publice tractare pure Theologica, non vero prohi-

bent, tum etiam incidenter de controuerſiis Theologicis agere, cum ex illarum deciſione diiudicandum eſt de negotiis ad cognitionem ICti tantum ſpectantibus. Hic enim, niſi ponderatis ſufficienter principiis, non poteſt exacte de iuſtitia & iniuſtitia concluſionum iudicari. Vnde vel ex hoc capite, quicquid etiam in genere dicatur, tuti eſſe poſſumus aduerſus dentes Zoili. niſi enim prius conſtet, an matrimonium recte dicatur ſacramentum, non poteſt iudicium ferri de concluſionibus & conſectariis, quæ inde deſcendunt. Nobis autem eo magis hoc erit integrum, cum in eo ſimus, vt rem hanc ex communi Theologorum proteſtantium ſententia conficiamus.

Euolutio vocis Sacramenti eſt neceſſaria.

§. III. Rem ipſam itaque aggreſſuri, quædam de nomine ſacramenti præmonere tenemur: quamuis enim alias nimia in euolutione nominis curioſitas, ſæpe inutilis & tædioſa ſit, hic tamen, ſi non in obſcuro rem omnem relinquere velimus, ea negligi & præteriri non poteſt. Quod itaque originem huius vocis ſpectat, nemo erit, qui negare poterit, illam a communi & vulgari linguæ latinæ vocula, ſacro vel ſacrando aut execrando deriuari, vt adeo ſuperuacaneum ſit, plura de origine dictæ vocis communi huic omnium opinioni adiicere vid. Iac. Altingius *Oper. Tom. V. Method. Theol. Didact. Loc. XIV. pag. 105.*

Eiusdem variæ ſignificationes [1] qua denotat pecuniam,

§. IV. Euoluendæ igitur erunt variæ eiusdem ſignificationes, inter quas primum arridet illa, qua denotat pecuniam, quam latini olim litigantes in loco ſacro deponebant, vt is, qui cauſa caderet, illa mulctaretur, Varro *lib. IV. de lingu. lat.* Zwinglius *lib. de ver. & falſ. relig. cap. de ſacram.* Athenienſes vero in iudicio deponebant Ariſtoph. *in Veſp.* Pollux *lib. 8. cap. 6.* De cuius tamen

quan-

quantitate & varia denominatione pro hac vice non erimus ſolliciti vid. Sam. Petit. *Comment. in LL. Attic. lib. 5. tit. 2.* Altera ſignificatio eſt, qua idem eſt, quod vinculum ſodalitii, quo illi, qui coierant, continebantur, ſicuti apud Iuſtin. *lib. 20. cap. 5.* Plin. *lib. 10. Epiſt. 97.* Io. Fridr. Gronouium *obſ. L. 4. c. 17.* videre eſt. Porro & iuramentum militare denotat, de quo Seruius *ad Æneid. lib. 6.* Polyb. 6. & hoc a militibus ſanctiſſime obſeruatum, etiam ſi illi iuſſi ducem ſequi quocunque velit. Dionyſ. Halicarn. *lib. II.* Vegetius *lib. 2.* Eiusdem vim oſtendit Cic. *de offic. lib. 1. & Philipp. 13.* Plut. *quæſt. Rom. quæſt. 39.* Roſin. *antiqu. Rom. l. 10. c. 3.* Horat. *Lib. 2. od. 17.* Seruius *ad Æneid. lib. 2. v. 157.* & *ad L. 7. v. 616.* Tertull. *de cor. milit. cap. 11.* Claudian. *in Ruffin. l. 2.* Modum vero huius iuramenti ſuppeditat Ammian. Marcell. *L. 21.* & M. Ann. Lucan. *Pharſal. lib. 1. v. 386.* Ioh. Guil. Stuckius *Oper. tom. 2. de ſacrif. Gentil. p. 136.* Cincius apud Gellium *lib. 12. cap. 4.* plenius illud recitat, cui iungendus Cæſar *de bell. ciuil. Lib. II.* Ex quibus apparet duplicem olim ſacramenti fuiſſe vſum, alium militarem, de quo hactenus, alium forenſem, ex quibus deinceps ſequentes natæ loquendi formulæ: Dicere Sacramentum vel Sacramento: Tenere vel teneri Sacramento: Soluere Sacramento.

[2] Vinculum ſodalitii.

[3] Iuramentum mililiare.

§. V. Denique non negligenda erit vltima Sacramenti ſignificatio, qua latinis idem eſt, quod myſterium. Quæ denominatio inde orta, quia in Hagiographiis, vbi Græci myſterium habent, vetus interpres aliquando *Tob. XII. Sap. II. & VI. Daniel II. & IV.* reddidit Sacramentum. Et promiſcuus hic vocabulorum vſus vocem Sacramenti in eccleſiam introduxit & ad ſigna gratiæ diuinitus inſtituta, vt baptiſmum & S. cœnam accommo-

[4] Myſterium.

 dauit.

dauit. Chemnic. *Exam. conc. Trid. P. 2. p. 6.* ſicuti ex Tertulliano *lib. 1. & 4. contra Marcion.* & *de coron. milit.* Iuſtin. *apolog.* Raban Paſchalio, Lindano & Cypriano videre eſt, qui itidem baptismum & S. cœnam Sacramentum dixere, quamuis ſcriptura Euchariſtiam & Baptismum nunquam myſteria vel Sacramenta vocet: vnde Radeccius *in notis ad Smigletii refutationem diſſolutionis nodi ſui Gordii pag. 48.* dixit: *Myſterii nomine cœna Domini non poteſt appellari.* Sic & de voce Sacramenti, quando cœperit, & a quibus & quomodo inuecta in eccleſiam, notari meretur illud Iac. Altingii *Oper. Tom. IV. c. 11. p. 21. a b.* & *Tom. 5. p. 473.* vbi dixit: *nomen Sacramenti latinum eſt, & ab Eccleſia ſolum latina vſurpatum, a cuius communione poſtquam receſſum eſt per reformationem, prout olim conſueuerat, eadem applicatio in vernaculas quoque linguas & confeſſiones recepta eſt non ſine aliqua multorum ſuſpicione ſecretæ alicuius in eapſe voce energiæ aut virtutis. Scriptura aliis vtitur vocabulis, nullo autem frequentius quam ſigno.* Inde de voce myſterii optime etiam annotavit idem *Oper. Tom. IV. c. 16. p. 336. 6.* quod ſignis ſacramentalibus applicata multos pepererit errores, ſicuti ipſa vox Sacramenti.

Deriuatio myſterii. notatur Hoffmannus.

§. VI. Hancce igitur denominationem Sacramenti, qua idem eſt, quod myſterium, Græcis debemus, qui vocem *μυςήριον* iuxta Hoffmannum *Lexic. vniuerſal. Tom. 2. pag. 16.* ab Hebræorum סתר *occultare* מסתר *aut* מסתור *Res abſcondita, ſecretum*, mutuarunt. Verum dubito, an illa deriuatio fundamentum habeat, & ſecutus fortaſſis Hoffmannus eſt Druſium ac Georg. Paſor. *Lex. Græc. Lat. pag. 448.* vel potius inſignem vocabulorum Græcorum & Hebræorum conciliatorem Cohen de Lahra *in conciliat. vocab. Græcor. & Hebr.* cuius autoritas nullius tamen eſt momenti; nec firma eſt concluſio, in voce Hebraica habetur

501

betur vox eiusdem fere toni ac ſignificationis, ergo ſtatim vox illa, quæ linguæ alterius eſt, habet originem Hebraicam; præ primis cum lis adhuc ſit ſub iudice, an lingua Græca an Hebraica ſit antiquior, vt itaque alius dicere poſſit, Hebræos ſuam vocem Græcis, non autem Græcos Hebræis debere. Quam enim hodie excolimus linguam Hebraicam, non eſt primitiua illa, qua protoplaſti vſi ſunt, hanc enim iudicium diuinum genuino gradu in homine a natura eius ſeparauit, quorum primus fuit ſtatim poſt lapſum. Nam cum antea reſponderent ſigna exacte rebus; vnde Abarbanel *Comment. in leg. fol. 28. col. 1.*
לא היתה קריאת השמות כפי ההסכמה והרצון אלא כפי
הוראת טבעיהם והשמות שהם בזה הדרך הם הגדרים שבזה
היתה הוראת החכמה לא בשמות המוסכמים: *Non fuit appellatio nominum ex inſtituto & voluntate, ſed iuxta demonſtrationem naturæ rerum: Nomina autem iuxta hunc modum ſunt definitiones: atque in hoc fuit demonſtratio ſapientiæ non in nominibus ex mero placito impoſitis:* poſtmodum hæc convenientia ſæpe defuit, Kaini nomine id confirmante, quod non reſpondebat ipſi rei *Gen. IV. 1.* vnde nomina deinceps ſæpe fuerunt mere votiua, quemadmodum Noachi, *Geneſ. V. 29.* Alter fuit gradus in diſperſione ſtructorum turris Babel, quando Deus ipſis immiſit vniuerſale obliuium primæuæ linguæ, ſimulque confudit articulationem, vt diuerſimode inſtitueretur: quo ipſo factum, vt mutuo ſeſe non amplius intelligerent. Sic autem commercio linguæ ablato ab inuicem in diverſas mundi plagas receſſerunt, ſingulæque familiæ, ſeiunctim ab aliis habitantes, noua ſibi propria articulatione ad exprimendos conceptus ſuos vſæ ſunt. Ex qua linguarum confuſione nos denique reliquias illas linguæ primitiuæ accepimus. Iac. Altingius *Oper. Tom. 5. p. 470.*

Lin-

Lingua enim primæua fuit puriſſima; & vt cum Muſcato *Comment. in legem loquar* במקום אמרו רעב אנכי ללחם היה דרך משל נותן בקולו קול אה אי או וכיוצא וכמו שספרו על התרנגול כי כאשר יטוש עלי אוכל ישמיע בחוץ קולו בקריאת התרנגולת לבא גם היא להתענג עמו בטוב לו ועל נהמת היונה יאמר גם כן שהיא סימן לקריאת בת זוגה: *loco eius, quod dixerunt eſurio panem, ediderunt exempli gratia voce ſua tonum A, E, O, aut ſimilem, ſicut dicitur de Gallo gallinaceo, quod quando diffundit ſe ad cibum, foris audire facit vocem ſuam in appellatione gallinæ vt & ipſa veniat, & oblectet ſe ſecum in bono ſuo. De gemitu columbæ dicitur ſimiliter, quod ſit ſignum appellationis comparis ſuæ;* qua lingua & nos aliquando in vita æterna gaviſuros, ſtatui puriſſimo admodum conueniente, colligunt nonnulli. Sed hæc obiter. Redeundum ad Hoffmannum, vbi notatu digniſſimum, Hebræos ſua Sacramenta dictis vocibus nunquam denominaſſe, licet radix סתר *latuit* vel *abſcondit ſe* denotet; e contra autem notum eſt בית הסתרים *locum ſecretum* & radicem סתר *repugnare, deſtruere,* ac *demoliri,* etiam ſignificare.

Notatur Bellarminus.

§. VII. Tres igitur voces adducit Bellarminus *Tom. 3. lib. 1. c. 8.* quibus Hebræi ſua ſacramenta denominare ſoliti fuerint, quarum primam חקים eſſe ſtatuit, cui iungit vocem סקה, quæ tamen vitioſa Bellarmini ignorantiam linguæ Hebraicæ, quam multi iam agnouere Theologi, arguens, & iuxta eundem non tam ceremonias omnes, inter quas & Sacramentum numerat, quam legem ceremonialem denotant. Verum nulla hæc eſt Bellarmini conſequentia ab vniverſali ad particulare, putans, quia omnes ceremoniæ חקים dicuntur, quod idcirco ſingulæ earundem partes ita dici poſſint, quæ tamen toto cœlo inter ſe differunt, & idem eſt, ac ſi dixeris, homo dicitur ani-

animal, ergo etiam digitus, naſus, talis dicendus. De explicatione altera, qua dictum vocabulum per ceremonias & earundem legem explicat, nihil dicam, licet enim doctrina a Moſe primum tradita *Malach. IV. 4.* tribus comprehendatur vocabulis תורה חקים ומשפטים *lege, ſtatutis & iudiciis*, ſynonoma tamen ſunt, vt bene obſeruatum a R. Dauid Kimchio *ad Pſalm. 19. & 119.* vbi hæc & alia vſurpantur de voluntate Dei verbo eius reuelata. Sic etiam Hebræorum Sacramenta non pertinebant ad ceremonias, ſed erant potius fundamentum ipſius religionis, quamuis & V. & N. T. Sacramenta ſuo modo ceremoniæ dici poſſint Friedm. Bechmann. *Annot. in Hutt. Comp. Theol. loc. 22. quæſt. 2.* Nec vllus in ſacra ſcriptura occurrit locus, vbi per חקים Sacramenta V. T. Paſcha nempe & circumciſio intelliguntur. Magis adhuc abſurdum eſt, quod idem Bellarminus tradidit de voce altera, qua Hebræos ſacramentum denominare putat, quæ eſt מלאים *impletiones* a מלא *compleri* deſcendens, quia *Exod. XXIIX. & Leu. VIII.* habetur, vbi de conſecratione ſacerdotis agitur, ac ille, qui ſacramentum ſuſcipit, perficitur, vt ſit idoneus ad ſacram functionem, quæ tamen explicatio iuxta Buxtorff. *Lex. Hebr. pag. 417.* cum R. Salomonis *in Comment.* non conuenit, docens *Exod. XXIX. 22.* איל מלאים dici, quod eo compleretur & perficeretur actus ſacerdotalis, qui tamen ad ſolam conſecrationem ſe non extendebat. Sequeretur proinde, quod more Pontificiorum conſecrationem ſacerdotis pro Sacramento, ac proinde tria Sacramenta habuerint Hebræi, quæ omnia perquam falſa ſunt. Et quæ porro ſequela, conſecratio ſacerdotis apud Pontificios eſt ſacra, apud Hebræos vox מלאים denotat *conſecrationes* Pontificis. Ergo מלאים denotat Sacramentum. Denique tertium

vocabulum eſt Chaldæorum רז, quod *Secretum* atque *Arcanum* denotat, & de hac voce ſcribit, Hebræos eiusdem radicem nondum inueniſſe; quaſi vero non ipſa vox radix eſſe poſſit, & omnia nomina a radice quadam neceſſario deſcendere debeant. Sicuti igitur hæc ſententia nullo fundamento nititur, ita etiam res ſe habet circa ipſum vocabulum, quando per Sacramentum explicat, quia nempe Sacramentum ſecreta Dei voluntas, & quia hoc vocabulum ſecreta denotat, quod proinde idem ſit, quod Sacramentum. Verum hæc Sacramenti deriuatio noua eſt & fictitia, nec enim a veteribus vnquam tali ſenſu accepta eſt vox Sacramentum, nec ex ſacris literis ea probari poteſt, vt mox dicetur, ſiquidem in ſcriptura V. T. duo Sacramenta, Circumciſio *Geneſ. XVII. 11.* & Paſcha *Exod. XII. 13.* ſub nomine אותות ſolent occurrere, quod tamen tam nudum quam prodigioſum denotat ſignum *Geneſ. IV. 15. Exod. IV. 9.* cui vocula ברית interdum adiicitur, ſic & iuxta explicationem Bellarmini propter voces *Dan. II. 28.* וגלא רזיא Daniel præciſe ſacramenta intellexiſſet. Denique etiam notari meretur, Bellarminum in vno eodemque capite ſibimetipſi contradixiſſe, quando ſub eiusdem initium docet, tertiam vocem eſſe רז vel רזא qua Hebræi ſua ſacramenta ſignificare ſolent, & ſub finem denique expreſſe docet, Sacramenta V. T. nunquam vocari רז vel סוד ſed ſemper חקים & מלאים. Et hæc de voce Myſterii occaſione deductionis Hoffmannianæ dicta ſunt, quibus, teſtibus Lexicographis, porro addendum, quod ſicuti varias Sacramenti in ſuperioribus oſtendimus ſignificationes, ita vocis myſterii apud ſcriptores varias etiam ſignificationes, & deriuationes occurere, ad quos L. B. remittimus.

§. VIII.

§. VIII. Quicquid autem ſit, præ ceteris notandum erit, vocem myſterii ſæpius quidem in ſcriptura occurrere, vocabulum autem Sacramentum prorſus eſſe ἄγραφον, vt fatentur Theologi. Chemnitius *Exam. C. T. P. 2. p. 3. n. 10.* Et quamuis vox Sacramenti in Latina Bibliorum verſione occurrat, proprie tamen & ſpecifice non vſurpatur de externis illis ac viſibilibus inuiſibilis gratiæ ſignis, Euchariſtia nempe & Baptismo, ſed a ſcriptoribus ad ea demum translata eſt, quemadmodum & vox μυστήριον a ſuperſtitioſis Græcorum ritibus ad meliorem vſum in eccleſia accommodata, ac veluti iure ciuitatis ſacræ donata eſt Gerhard. *loc. Theol. Tom. 4. de Sacrament. cap. 1. §. 9. pag. 393.* Quorſum notari meretur ſequens de vſu vocis Myſterii & Sacramenti Iacob. Altingii *Tom. 5. Anal. Exeget. Catech. Palat. p. 39. b.* iudicium, vbi eleganter docet: *Pareum cenſere vocem Sacramenti ex vetuſtis verſionibus latinis mutuatam eſſe, nam vbicunque textus Græcus vſurpat μυστήριον, poſitum fuit Sacramentum. Et hinc quia Græcis μυστήρια dicebantur hæc ſigna, iisdem Sacramenti nomen impoſitum. Illi enim μυστήρια dixerunt imitatione Ethnicorum, qui arcana, ſeu arcanæ ſignificationis ſacra & ritus ſic appellabant. Verum ſic rem non illuſtrarunt, ſed obſcurarunt, cum Deus in Scriptura longe clarius loquatur, quando ſigna & ſigilla nominat. Sed Latini adhuc intellexerunt latinam vocem, poſtquam autem latina lingua per Tyrannidem eccleſiæ Romanæ facta eſt quaſi authentica, etiam hæc vox religioſa euaſit, quæ in omnibus linguis occidentalibus fuit admiſſa, non ſine ſuperſtitione multorum & plurium ignoratione. Eſt barbaræ linguæ non latinæ, 1. Cor. XIV. 19. neque conferri poteſt cum Amen, Abba, Halleluiah, Zebaoth: nam hæc ſunt vocabula vſurpationis diuinæ in authenticis linguis, aſt hoc humanæ & ab Antichriſti autoritate introductum. Docemur non debere*

Sacramentum eſt vocabulum ἄγραφον & gentile.

Quamuis in vulgata occurrat.

nos ſuperiores eſſe Deo, qui cum clare loquatur, obſcuriora non ſunt præferenda, attamen ſequimur morem, qui non in lingua & vocibus, ſed in re ſignificata errores amolimur. Ex quo loco ſingularis ille vſus vocis Myſterii ac Sacramenti, quem multi falſo iactitant, præclare poteſt videri. Cui iungi meretur alius adhuc eiusdem auctoris locus *Oper. Tom. 5. Method. Theol. didact. loc. XlV. pag. 105.*

Commodiori ergo vti deberemus.

§. IX. Interim non dixero, vocem Sacramenti ex Eccleſia neceſſario eiiciendam eſſe, cum bene explicari poſſit, ſed conſilium tantummodo erit, vocabulum Sacramenti commode ac cum ingenti eccleſiæ fructu emolumentoque inſigni poſſe reiici, quod vtinam nunquam eſſet receptum, quia origo atque occaſio multarum controuerſiarum fuit, quæ inter Theologos vtriusque religionis, de requiſitis, de numero Sacramentorum &c. hactenus agitatæ ſunt. Hinc ipſe etiam Lutherus, *lib. de captiu. Babyl. c. de matrim.* ab hoc nomine non parum abhorrens, inquit: *Non habet vniuerſa ſcriptura ſacra hoc nomen ſacramentum in ea ſignificatione, qua noſter vſus, ſed in contraria: Vbique enim ſignificat non ſignum rei ſacræ, ſed rem ſacram, ſecretam, abſconditam.* Similiter etiam *in lib. de abrogand. miſſ.* inquit: *Pia & fidelis conſcientia merito & digne parcere debet, ne hoc ſacrificium appellet, aut credat, quod certisſimum eſt apud Deum, & in ſcripturis non dici ſacrificium, & hoc ſolum appellet ſacrificium, quod conſtat a Deo vocari ſacrificium. Quæ enim furentior temeritas, quam ſic os in cœlum ponere, vt hoc ſacrificium & metum Dei dicas, quod ille non dicit ſacrificium & cultum Dei?*

Propter rationes varias.

§. X. Hiſce porro Lutheri teſtimoniis accedunt aliæ rationes, nempe nomen ſacramenti gentile ab hominibus excogitatum eſſe in ſcriptura S. non occurrens, nec dignum, vt per illud ſigilla gratiæ diuinæ explicentur

tur. Sic & pauciores ſunt in eccleſia, qui ſciunt, quid ſacramenti vox denotet: rem autem claram & perſpicuam obſcura voce denominare, an non inconueniens eſt? Erudiendi igitur prius erunt homines ratione tam nominis quam rei ipſius: Unde eccleſia non minimum damnum capit, ſi tyro prius ratione vocum debet informari, cum interim res fidei perdiſcere poſſit. Et poſito, tempus non eſſe reſpiciendum, valde tamen abſurdum eſt cum erudiendis primum de re militari militiæque iuramento, & deinceps de re ſpirituali loqui, & conuenientiam harum rerum mcgno labore oſtendere, quæ tamen toto cœlo a ſe inuicem diſtant. Tandem hoc vnicum inſtar omnium eſſe poteſt, quod iuxta doctrinam Apoſtoli *1.Tim.VI.3.* ſubſiſtere debeamus in verbis Chriſti, & Scripturæ ſacræ. Si opus fuiſſet hac voce, Spiritus S. eam non neglexiſſet. Nihil detrahendum ſcripturæ ſacræ, nihil etiam addendum eſt. Sed additur aliquid, quaudo locutiones certæ & ſententiæ hominibus obtruduntur, tanquam veritates Theologicæ, licet nullum in ſcriptura reperiatur fundamentum.

§. XI. Equidem poſſet quis excipere, in ſcriptura ſacra plures occurrere voces militares, vt legio, & integra ſpiritualis Apoſtoli Pauli πανοπλία. *Epheſ. VI. 13. ſqq. Luc. XI. 22.* ſed reſpondetur, Chriſtus & apoſtoli ipſi hiſce vſi ſunt vocibus, nulli tamen eaſdem locutiones vnquam per modum legis impoſuerunt: ſed voce Sacramenti nunquam vſi ſunt. Inſuper illas voces tantum comparationis cauſa adhibuerunt; nos vero voce Sacramenti non comparationis cauſa vtimur, quæ enim comparatio inter ſacramentum, ſeu iuramentum militis, & ſigilla viſibilia inuiſibilis gratiæ Dei? Sed vt ipſum negotium illud, eiusque eſſentiam & qualitates denotet. Obiectio I. Reſponſio.

Obiectio II. §. XII. Perget forte alius, tantæ tamen amplitudinis eſſe libertatem Chriſtianam, vt ſine ſcandalo eccleſiæ hac voce vti licuerit, ſic & ſummam neceſſitatem ad prædicandum euangelium inter gentes vſum huius vocis introduxiſſe, quia in S. ſcriptura talis vox generalis euchariſtiam & baptismum coniunctim denotans non occurrat, & tamen opus ſit, vt eiusmodi vox habeatur. Responſio. Hisce vero reponimus libertatem Chriſtianam ad inutilia & abſurda ſe non extendere, etenim libertas Spiritus a licentia carnis probe diſcernenda, ſic & libertas Chriſtiana non eſt licentia in eccleſia quælibet agendi, quæ cuilibet libent, aut nouas introducendi doctrinas humanas, ſed eſt ius, quo vere credentes a ſeruitute peccati, tyrannide Diaboli, maledictione legis, & æterna morte, quin & a iugo ceremoniarum Leuiticarum, humanarumque traditionum, per Chriſtum ſunt liberati Hutter. *Comp. Theol. loc. 18. q. 1.* Deinde falſum eſt, neceſſitatem hoc nomen introduxiſſe; potuerunt enim Apoſtoli prædicare euangelium inter gentes ſine hac voce, nam tempore Apoſtolorum vox illa hoc ſenſu omnino fuit incognita. Nec neceſſum eſt, vt euchariſtia & baptismus vno communi nomine appellentur. quid quod & aliud commodius nomen non deſit? vti mox dicemus.

Obiectio III. §. XIII. Alius porro addet, ſufficere, vocabulum non eſſe ἀντίγραφον, quamuis ſit ἄγραφον, & licet vox ſacramenti non κατὰ ῥητὸν inueniatur, tamen κατὰ διάνοιαν in S. ſcriptura poſſit occurrere. Responſio. Sed primo hoc plane non concludit, ſiquidem hac ratione quam plurimas excogitare poſſem voces, quæ non contra ſcripturam ſunt, ſed per διάνοιαν ex S. ſcriptura eruuntur, quo ipſo tamen nihil aliud efficeretur, quam vt conſcientiæ nouis

uis dogmatibus grauentur, & occaſio nouis controuerſiis & litibus ſuppeditetur. Deinde oſtendas, quæſo, quomodo per *διάνοιαν* ſcripturæ ſacræ vox ſacramenti conveniat. Si dixeris, quia ſacramentum idem eſt, quod myſterium, cuius vocis in ſcripturis fit mentio, reſpondeo, falſum hoc eſſe, quia iuramentum militare & myſterium non ſunt ſynonyma, hinc commentum Doctorum eſt, ſacramentum & myſterium eſſe idem. Et ſi ſacramentum pro myſterio habendum, cur non omnia myſteria dicuntur ſacramenta? Hoc ipſo ergo non probatur, ſacramenti ſignificationem ſpecialem, qua pro ſigillis externis inuiſibilibus gratiæ accipitur, fundamentum habere in ſcriptura ſacra.

§. XIV. Verum poſſet quis porro nobis obiicere, tamdiu recte retineri vocem ſacramenti, quamdiu alia non datur commodior: aſt haud adeo incongruum fuiſſe puto, ſi *media* aut *ſigilla ſalutis* nuncupaſſent. Ac licet quis dixerit, haſce voces eſſe nimis generales, nec conceptum ſpecificum ratione baptiſmi & euchariſtiæ habere, ille dicat, quæſo, conceptum ſpecificum vocis ſacramenti, oſtendat hanc vocem tam late non patere, cuius contrarium tamen apud omnes eſt in confeſſo. Nos vero nec pro hac nec pro illa voce multum pugnabimus, quia, vt ſupra dictum, tali voce non eſt opus, cum res nihilominus ſatis intelligi poſſit, ea vero eiuſmodi nominibus potius obſcuretur.

Obiectio IV.

Reſponſio.

§. XV. Hiſce vero rationibus ſatis prægnantibus iam præmiſſis, ordinis ac inſtituti noſtri ratio requirit, vt & rationes, quibus Bellarminus *T. 3. lib. 1. cap. 7.* probare annititur, nomen ſacramenti eſſe vſurpandum & conſeruandum, examinemus: (I) igitur eſt, quia in ſcriptura occurrit vox *μυστήριον*, quæ latinis idem eſt, quod ſacramentū.

Bellarmini obiectio.

Verum

refutatur. Verum falſo nititur principio hæc ratio, etenim falſum eſt, Latinis ſacramentum idem eſſe, quod Græcis myſterium, quia hac ratione omne illud, quod in Scriptura myſterium dicitur, dicendum eſſet ſacramentum proprie dictum: ac proinde plura darentur ſacramenta, quam ſeptem, ſicuti teſte Chemnitio *Ex. conc. Tr. pag. 2. n. 9.* ipſe etiam fecit Auguſtinus, qui plura quam ſeptem numerat.

Loca ſcripturæ a Bellarmino adducta expenduntur. §. XVI. Inter varia autem ſcripturæ loca primum adducit illum, quo & matrimonium ſacramentum eſſe probare nititur, ex Epheſ. V, 32. Verum quamuis vetus interpres hoc in loco vocabulum ſacramenti loco myſterii adhibuerit, haud tamen poterit dici, quod idcirco hoc vocabulum ſit ἔγγραφον, ac propterea in eccleſia vtendum conſeruandumque. Quapropter ipſe Bellarminus l. c. etiam fatetur, ſe ex ſcriptura non poſſe probare, nomen ſacramenti, vt eſt nomen ſpecificum & proprium ſacramentorum, nusquam enim in ſcriptura baptiſmum aut euchariſtiam myſterium vel ſacramentum appellari. Ita res quoque ſe habet circa reliqua loca, vbi vulgata loco myſterii vocem ſacramenti adhibet, qualia ſunt *Daniel. II. Apoc. XVII. & 2. Theſſ. II.* Inepta enim eſt ſequela. Hoc vel illud ſcripturæ S. vocabulum vulgata explicauit per tertiam aliquam vocem, ergo hæc ipſa vox in ſcriptura occurrit.

Bellarmini Obiectio II. §. XVII. Hancce primam Bellarmini rationem excipit (2) Patrum conſenſus, nempe Tertulliani *de præſcript. cap. 16. & lib. I. in Marcion.* Cypriani *lib. 4. cap. 17.* Hilarii *in Pſalm. 121.* Hieron. *in Ezech. cap. 44.* & *in Malach. cap. 1.* Auguſt. *Epiſt. 118. & lib. 2. Doctr. Chriſt. cap. 3.* ex quibus Patrum ſententiis colligit, nomen hoc eſſe antiquiſſimum. refutatur. Sed quamuis hoc concedamus, eſſe vocabulum anti-

antiquiſſimum, inde tamen non ſequitur, illud quoque perpetuo eſſe retinendum, etiamſi in ſcripturis non haberetur. Deinde patres hac voce non eo ſenſu vſi ſunt, vt faciunt Pontificii & noſtri, ſed ipſis ſacramentum nihil aliud ſignificat, quam myſterium.

§. XVIII. Denique (3) inſtat Bellarminus, omnes tamen linguas vulgares, vt Italica, Gallica, Hiſpanica, Germanica, & alias hoc vocabulum in eccleſia latina retinuiſſe. Verum enim vero, ſi ſtatum eccleſiæ quocunque ſaltem modo perpendimus, cuilibet ſtatim apparebit, multa per ignorantiam & ſimplicitatem in eccleſia communiter recepta eſſe, quæ tamen nihilominus abrogari poſſunt & interdum debent. Hinc vſu receptum fuit, donec veniret Lutherus, qui abolendum ex eccleſia eſſe voluit hoc vocabulum, ſicuti §. VIII. iam diximus, & nullum certe eſt dubium, eundem tempore Reformationis cum reliqua Pontificiorum doctrina ex eccleſia euangelica hoc vocabulum penitus reieciſſe, niſi Zwinglius *L. 16. de ver. & falſ. relig.* dixiſſet, ſe nolle ob hoc nomen tumultuari, aperte tamen illud reprehendens ac optans, vocem iſtam ſacramenti Germanis nunquam fuiſſe receptam. Interim Zwinglius tantus huius vocis non fuit inimicus, quemadmodum Lutherus & Carolſtadius, qui *lib. de imag. & Sacrament.* Lutherum ſecutus, expreſſe contra nomen Sacramenti egit. Sic & negari non poterit, Philippum Melanchthonem *in loc. comm. anno 21. & 22. editt.* caput de ſacramentis agens, inſcripſiſſe de ſignis, ibique dixiſſe: Quæ alii Sacramenta, nos ſigna appellamus. Verum poſtea Lutherus priorem ſententiam ſuam mutauit & reuocauit: Cui rei an non diſſenſiones cum Carolſtadio & Zwinglio cauſam dederint, ſanioribus iudicandum relinquo.

Bellarm. Obiectio III.

Reiicitur,

Per Lutherum.

Ex recepto vſu vocis orta eſt controuerſia de numero Sacramentorum.

§. XIX. Quod ſi itaque abſtinuiſſent in eccleſia a voce ſacramenti, non dediſſent occaſionem controuerſiæ, quæ de numero Sacramentorum inter Pontificios & noſtrates vehementer agitata eſt, quam tamen hic repetere non exiſtimamus operæ pretium, nec ſcopo noſtro conueniens. Orta hinc etiam eſt controuerſia de matrimonio, an non hoc quoque ex numero Sacramentorum ſit? Quod Pontificii affirmant, noſtri vero vnanimiter negant, pro quorum partibus nos etiam ſtare non dubitamus.

Et de matrimonio, an ſit ſacramentum.

Quid ſit ſacramentum.

§. XX. Vt autem ordine procedamus, prius videndum eſt, quid ſit Sacramentum proprie dictum, & quæ eius requiſita, deinde quibus rationibus noſtri vtantur, quibus tandem rationes Pontificiorum cum debita cenſura ſubiiciemus. Verum titubant ipſi Pontificii & valde diuerſimode hac de re loquuntur, quorum alii vt Ockam Maior & Richard. *in 4. diſt. 1.* ſimpliciter negant, definiri poſſe Sacramentum; alii vero, vt Sotus *diſt. 1. qu. 1. art. 2.* Scotus *diſt. 1. qu. 2.* imperfectam tantum dari poſſe definitionem concedunt; alii denique cum Martin. Ledesmio *Tr. de ſacram. in gen. qu. 1. art. 2.* Sacramentum proprie definiri poſſe aſſerunt; imo & ipſe Bellarminus *Tom. 3. lib. 1. cap. 10.* hæſitat, & non niſi moraliter & ſuo tantum modo definiri poſſe Sacramentum fatetur. Et reuera cum ſacramentum in hoc ſignificatu, quo a Theologis accipitur, nihil aliud ſit, quam ens rationis, vtique difficile erit, illud accurate definire. Dabimus tamen definitionem ſeu deſcriptionem potius, menti Theologorum congruam, quæ hæc eſt: *Sacramenta ſunt ſacra, in oculos incurrentia ſigna ac ſigilla inuiſibilis gratiæ diuinæ a Deo inſtituta, annexam habentia promiſſionem gratiæ.* Aut iuxta D. Tileman. Heshuſium *Exam. Theolog. loc. XIV.*

Non audent hoc definire Pontificii.

Definitio ex mente Theologorum tradita.

XIV. Sacramenum *eſt actio ab ipſo Deo in N. T. inſtituta, annexa promiſſioni gratiæ de gratuita remiſſione peccatorum, donanda propter Chriſtum, vt eam nobis obſignet, & tanquam pignore confirmet, vtque per hoc medium Deus in nobis ſit efficax ad ſalutem & ſingulis applicet promiſſionem.*

§. XXI. Facile inde patet, quænam ſint vera ſacramenti requiſita, quæ Auguſtinus *tract. 80. in Iohann.* his verbis comprehendit: Accedit verbum ad elementum, ac fit ſacramentum. Vnde duo reſultant requiſita, nempe, vt ſit (1) elementum quoddam externum, ſeu ſignum viſibile, certo tractandum ritu; (2) verbum, quod cum iterum promiſſionis vel mandati, hinc tria communiter ſtatuuntur requiſita: ſcilicet (1) elementum, ſeu ſignum externum viſibile, (2) inſtitutio diuina & mandatum (3) promiſſio gratiæ iuſtificantis. Qua in parte cum noſtris conueniunt Pontificii, quamuis illi iuxta Bellarm. *lib. 1. cap. 9. de ſacram.* octo requiſita deſiderent, hæc tamen tanquam maxime neceſſaria agnoſcentes, Bellarm. *lib. II. de Effect. ſacram. cap. XXIV.* Quæ ſint requiſita Sacramenti?

§. XXII. Quod ſi itaque hæc applicemus, nemo facile tam alienatæ mentis erit, vt non intelligat, minime omnium hæc quadrare ad matrimonium, vnde ſua ſponte conſequitur, matrimonium non recte dici poſſe Sacramentum. Deficit enim elementum, ſeu ſignum externum viſibile. Gerhard. *de coniug. §. 17. p. 22.* Equidem Bellarminus *de Sacram. matrim. cap. 6.* putat, perſonas non ſolum materiam, circa quam, ſed ex qua eſſe quamuis iterum de hac materia ingens Pontificiorum ſit controuerſia. Verum quomodo perſonæ hic pro elemento haberi poſſint, non adparet. Perſonæ recipiunt hoc Sacramentum ex mente Pontificiorum, quomodo itaq; poſſunt eſſe materia Sacramenti? Melch. Ca- Probatur, illa requiſita non conuenire matrimonio. Quia deficit Elementum.

nus *Loc. Theol. lib. 8. c. 5.* Sed dixerint forte Pontificii, copulam carnalem eſſe illud ſignum externum, quia in *Can. 16. cauſ. 27. qu. 2.* dicitur: *non eſt dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commiſtio ſexus non docetur fuiſſe*, & in ſequenti *cap. 17. ibid. Cum ſocietas nuptiarum ita a principio ſit inſtituta, vt præter commiſtionem ſexuum non habeant in ſe nuptiæ coniunctionis Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, non dubium eſt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur, non fuiſſe nuptiale matrimonium.* Enimuero, vt taceam, quam impium ſit hoc aſſertum, illud tantum adiicio, quod quam plurimi ex aduerſariis hoc fundamentum non agnoſcant, & hac ratione matrimonium a ſtupro & fornicatione impiorum hominum non ſit diſtinctum.

Nec adeſt mandatum diuinum.

§. XXIII. Sed & ſecundum requiſitum deficit, ſcilicet mandatum diuinum. Equidem matrimonium a Deo eſſe inſtitutum, nemo dubitabit, Hülſeman. *in extenſ. Breu. Theol. c. 21. th. 5.* Gerhard. *Loc. de coniug. §. 41.* Sed hic quæritur, an a Deo vt ſacramentum, & quidem Noui Teſtamenti ſit inſtitutum? Quod ex nullo ſcripturæ loco probari poteſt. Gerhard. *loc. de coniug. §. 18. & 23.* Annon iam in veteri teſtamento inſtitutum? quo iure ergo pro ſacramento noui teſtamenti poteſt venditari? Deinde, vbi quæſo eſt mandatum diuinum, quod ad Sacramenta requiritur? Hoc ſine vllo dubio deficit, alias grauiſſime peccaret, qui in cœlibatu manet, quod tamen falſum.

Nec promiſſio gratiæ.

§. XXIV. Tandem & nulla adeſt ſpecialis promiſſio gratiæ, talis ſcilicet, quæ in Sacramentis exigitur, vbi per gratiam intelligitur remiſſio peccatorum, & iuſtificatio ac in fide confirmatio. Luth. *lib. de captiu. Babyl. c. de matrim.* Calvin. *lib. 4. inſtit. c. 19. §. 39.* Chemnit. *Exam.*

C. T.

C. T. p. 2. 1220. Quamuis enim dici non poſſit, matrimonium piorum gratia diuina & benedictione deſtitui, interim tamen hoc de illa ſpeciali gratia, quæ in ſacramentis exigitur, intelligi non poteſt, cum matrimonium per ſe non poſſit eſſe medium conſequendi remiſſionem peccatorum. Neque omne illud negotium, quod habet generalem promiſſionem gratiæ & benedictionis, ſtatim pro ſacramento habendum, alias omnia officia Chriſtianorum eſſent ſacramenta.

§. XXV. Expoſitis itaque fundamentis noſtræ ſententiæ, nunc examinemus rationes aduerſæ partis, ſecuturi Bellarminum, cuius inter Pontificios magna eſt autoritas. Hicce vero ex tribus potiſſimum fontibus probat, matrimonium eſſe ſacramentum proprie ita dictum, nempe ſcriptura S. patribus, & ratione. Itaque probat ex ſacris litteris, & quidem ex Epiſtola Pauli *ad Epheſ. V. 32.* vbi matrimonium ſeu viri & mulieris coniunctio expreſſe ſacramentum dicitur, qui locus omnis probationis Pontificiorum columna & baſis quaſi eſt. Sed quis non videt, Pontificios verſione vulgata eſſe deceptos, quæ loco myſterii vocem ſacramenti adhibuit, non enim myſterium ac ſacramentum vnum idemque eſſe, ſupra iam oſtendimus.

Bellarmini argumenta contraria.

[1] Primum ex S. S. vbi matrimonium (1) dicitur Sacramentum.

Reſpondetur.

§. XXVI. Verum cum viderit Bellarminus hoc argumento nihil ſe efficere, hinc ſubiicit, ex ſola ſacramenti voce non probari, matrimonium eſſe ſacramentum, proprie dictum, ſed tantum id, quod probandum ſuſcepit, matrimonium eſſe ſignum ſeu ſymbolum aliquod ſacrum, non autem contractum mere ciuilem, quia ſcilicet iuxta interpretes veteres dicti loci vt Ambroſium, Hieronymum, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Theophylactum, Auguſtinum, Apo-

[2] Symbolum ſacrum.

ſtoli verba: *Sacramentum magnum*: coniugio humano viri & fœminæ, non autem coniunctioni Chriſti & ecclesiæ tribuatur. Verum iam ſinguli quidem euoluendi eſſent patres, vt videremus, an Bellarminus ſincere nobiſcum egerit, ſed cum inſtituti ratio non admittat, vt primo hoc capite nimis ſimus prolixi, ponam omnia loca, ſe eo quo vult modo habere, exinde tamen nullum pro veritate ſententiæ argumentum validum duci poteſt, cum non autoritatibus, ſed rationibus pugnandum ſit. Quod ſi ergo ipſum textum, qui ita ſe habet: τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστιν· Ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, conſulamus, is ſane manifeſto docet, Paulum non coniugium, ſed arcanam Chriſti coniunctionem cum eccleſia myſterium nuncupare, quia verba, ἐγω δὲ λέγω, expreſſe euincunt, per myſterium ſe non intelligere matrimonium, ſed vnionem Chriſti cum eccleſia; differt ergo matrimonium a myſterio, vt ſignum a re ſignata. Vnde fruſtra Bellarminns putat, aduerſarios ſuos ex hoc ipſo textu poſſe refelli, cum enim Apoſtolus dicat, ſacramentum hoc magnum eſt, illud pronomen hoc referri debere neceſſario ad id, quod proxime præceſſit, eſſe enim demonſtrationem eius rei, de qua agitur; proxime vero præceſſiſſe: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt in carne vna.* Enimuero reſponſionem ad hanc obiectionem ſuppeditat Auguſtinus *lib. 1. c. 21. de nupt. & concept.* vbi hunc locum ſequentem in modum explicat: *Et ne quis iſtam magnitudinem ſacramenti in ſingulis quibusque hominibus vxores habentibus intelligeret: Ego autem, inquit, dico in Chriſto & in eccleſia, quod eſt hoc ſacramentum magnum, erunt duo in vnam carnem.* Imo perinde eſt, ſiue pronomen *hoc* ad ſequentia, ſiue ad antecedentia referatur. Si enim iuxta men-

Reſpondetur.

mentem Pauli ad ſequentia illud referas, res per ſe clara eſt; quodſi vero iuxta ſententiam Bellarmini ad antecedentia, probe notandum erit, non ſolum verba illa: *Erunt duo in carnem vnam*, præceſſiſſe, quod ratione Chriſti atque eccleſiæ quam maxime myſterium dici poteſt, ſed & mentionem dilectionis Chriſti & eccleſiæ *ibid. v. 23. ſeqq.* vid. Chryſoſtom. *ad h. l.*

§. XXVII. Interim non inficias ibo, hominum coniugia etiam repræſentare quidem magnum illud myſterium, nempe Chriſti & eccleſiæ coniugium, ſed abſurdum eſſet; ſi quis imaginem quandam hunc vel illum repræſentantem, ipſum hominem dicere vellet. quicquid enim aliquid repræſentat, non eſt illud ipſum; quare nec myſterium repræſentans, ipſum quoque eſt myſterium. Sit igitur, matrimonium eſſe ſignum rei cuiusdam ſacræ coniunctionis, nempe eccleſiæ atque Chriſti, hinc tamen non ad ſpeciale quoddam deſcendere poteris ſignum, putans, ſi eſt ſignum, neceſſario eſſe ſignum ſacramentale. Non enim ab vniuerſali ad particulare valet conſequentia.

Conceditur, coniugium eſſe ſignum Chriſti & eccleſiæ.

Non tamen ſacramentale.

§. XXVIII. Quemadmodum igitur nullius hæc probatio eſt momenti, nec vllo euinci poteſt modo, matrimonium eſſe ſignum ſacramentale, multo minus actionem ſacramentalem, proprie ita dictam, per quam gratia reconciliationis ac peccatorum remiſſionis applicetur & obſignetur. Sic miror Io. Gerhard. *loc. Theol. Tom. 7. p. 54.* concedere generali cuiusdam vocis ſignificatione, matrimonium vocari poſſe ſacramentum. Etenim hæcce loquendi libertas immatura nouarum iterum poteſt eſſe controuerſiarum origo, quas tamen potius omni modo euitare tenemur.

Hinc Bellarminus nihil probat.

Notatur Gerhardus.

[3] Habens promiſſionem gratiæ.

§. XXIX. Tertia pars ſacramenti proprie ita dicti, iuxta Bellarminum eſt promiſſio gratiæ iuſtificantis, vt igitur & hanc in matrimonio oſtendat, per qualemcunque conſequentiam eandem itidem ex dicto ad Eph. loco probare annititur. Neruus autem huius probationis conſiſtit in eo, quod inter virum atque mulierem ſpiritualis etiam detur coniunctio, quam tamen nullo modo poterit probare; etenim ad ſignum cuiusdam rei non pertinet, vt eſſentiam ipſius habeat rei, alias imago hominis non poſſet eſſe ſignum eiusdem, niſi etiam de eſſentia quidpiam habeat. Et quod futuri Chriſti dantur in V. T. ſigna, quæ tamen nihil ſpirituale habent. Deinde licet inter quosdam coniuges præter coniunctionem corporum ſit etiam ſpiritualis coniunctio, inde tamen non generaliter hoc de omni matrimonio aſſeri poteſt. Quid quod nulla etiā ſit conſequentia, inter coniuges eſt ſpiritualis coniunctio, ergo matrimoniū habet promiſſionem gratiæ iuſtificantis. ſane non intuitu matrimonii, ſed intuitu fidei hanc gratiam conſequuntur: Fides enim habet promiſſionem gratiæ, non matrimonium, nec enim iuſtificatur, qui non credit, etiamſi coniugium inierit. Certe igitur miror, Pontificios ſuam ſententiam ex aliis ſcriptutæ locis confirmare velle, vt *1. Tim. II.* nam quamuis Deus nonnullis coniugibus ſuam largiatur gratiam, vt ſpiritualiter animi coniugum vniantur, diuinamque experiantur benedictionem, non tamen ſpiritualis hæc vnio ſacramentum dici poteſt. Nec magis ad rem facit dictum *1. Cor. VII.* vbi matrimonium donum Dei Apoſtolus dicit, vt ipſam virginitatem, & *1. Theſſ. IV.* vbi coniuges hortatur, vt abſtineant a fornicatione. Colligat enim quilibet ex hisce dictis, ſi poteſt, contra nos; ſane abſurda eſt concluſio, ſi dixero, quic-

Ad quod reſpondetur.

Reſpondetur reliquis locis, quæ vrgent Pontificii.

quicquid eſt donum Dei, & ad quod Apoſtolus fideles adhortatur, illud eſt ſacramentum.

§. XXX. Sed progredimur (2) ad conſenſum patrum, quo Bellarminus itidem fruſtra probare conatur, matrimonium eſſe ſacramentum. Ne nos detineamus in adducendis verbis patrum iisque explicandis, quod inſtituti ratio non permittit, facile concedere poſſumus, patres interdum matrimonium dixiſſe ſacramentum, ſed notum eſt, patres nomine ſacramenti in latiori & impropria ſignificatione vti, quatenus idem eſt, quod myſterium, vt adeo nobis hac in parte non aduerſentur. Deinde iam ſupra monitum, non hic, quid ſenſerint patres, ſed quid ſenſerit Spiritus Sanctus, videndum.

Alterum Bellarmini argumentum, conſenſus patrum. Ad quod reſpondetur.

§. XXXI. Cum autem de Auguſtino imprimis inter nos & Pontificios ſit controuerſia, an matrimonium dixerit eſſe ſacramentum proprie ita dictum, non poſſum, quin locum ſequentem Chemnit. *Exam. Concil. Trid. p. 2. p. 421.* addam: *Veteri eccleſiæ*, inquit, *prorſus ignota eſt hæc diſputatio, matrimonium eſſe ſacramentum Noui teſtamenti, ſicut & baptismus & cœna Domini. Auguſtinus defenſurus coniugium aduerſus Hieronymi criminationes diſputat, tria eſſe coniugii bona, prolem ſcilicet, fidem coniugalem & Sacramentum. Intelligit autem Sacramentum, myſticam ſignificationem coniunctionis Chriſti & eccleſiæ. Et propter illud Sacramentum dicit, in N. T. polygamiam non eſſe licitam, ſed legitimas nuptias eſſe coniunctionem indiſſolubilem vnius viri & vnius feminæ. Ita lib. de fide & operibus c. 7. inquit: In eccleſia nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum, ita commendatur, vt non liceat vxori, virum alteri tradere. Et lib. de bon. coniugal. cap. 18. inquit: In noſtrarum nuptiis plus valet ſanctitas matrimonii, quam fœcunditas vteri.*

Auguſtini verba explicantur.

Et quam modeſte loquitur, cum inquit: Quod in Chriſto & eccleſia eſt magnum, hoc in ſingulis quibuscunque viris & vxoribus eſt minimum, ſed tamen coniunctionis inſeparabilis ſacramentum. Hoc vero modo & hoc ſenſu Auguſtinus pronunciat, etiam polygamiam veterum fuiſſe ſacramentum lib. de bono coniugali cap. 18. Sicut ſacramentum pluralium nuptiarum illius temporis ſignificauit futuram multitudinem Deo ſubiectam in terrenis omnibus gentibus, ſic ſacramentum ſingularium nuptiarum noſtri temporis ſignificat vnitatem omnium noſtrorum ſubiectam Deo futuram in una cæleſti civitate. Longe aliud igitur Auguſtinus intelligit, quando loquitur de Sacramento matrimonii, quam quando Pontificii diſputant, matrimonium eſſe vnum ex ſeptem ſacramentis N. Teſtamenti vere & proprie, ſicut eſt baptismus & cœna Domini. Fumos igitur Pontificii vendunt, quando diſputationes ſuas de ſacramento matrimonii ex Auguſtino confirmant, eo quod ipſe matrimonio tribuerit appellationem ſacramenti. Hæc Chemnitius: quibus addimus, Auguſtinum, vbi de ſacramentis proprie ita dictis agit, Euchariſtiam ac Baptismum tantum numerare *Epiſt. 118. ad Ian.* Euolui præterea meretur Forbeſius *Inſtruct. Hiſt. Theol. lib. 9. c. 8.* qui ſententiam patrum de hac controuerſia fuſe eruditeque expoſuit.

Tertium Bellarmini argumentum a ratione deſumtum

Ratio. I.

§. XXXII. Denique (3) matrimonium eſſe ſacramentum, proprie dictum, ipſa probat Bellarminus ratione, inquiens: Matrimonium Chriſtianorum eſt vnius tantum cum vna, & omnino inſolubile, ac proinde eſſe Sacramentum conferens gratiam proprie dictam. Et hæc ratio in forma ita ſe habet: Quicquid eſt unius tantum cum vna coniunctio inſolubilis, illud eſt ſacramentum proprie dictum, atqui matrimonium, &c. Sed maior propoſitio eſt falſa, & mera petitio principii, contrarium enim ſupra ſatis probauimus. Conferri ad hanc

Cui reſpondetur.

ra-

rationem merentur ea, quæ Marc. Anton. de Dominis *de Republ. Eccleſ. lib. 5. Cap. II. §. 44. p. 448.* eleganter diſſerit, quorſum nos breuitatis cauſa remittimus.

§. XXXIII. Altera Bellarmini ratio eſt finis matrimonii in procreatione ſobolis & remedio contra fornicationem conſiſtens. Ad procreationem vero ſobolis pertinere putat educare ac inſtituere, & in hoc hominũ coniugium a coniunctione beſtiarum differre, cum proles non inſtituant. Hocce vero inſtituendi parentum officium iuxta regulas rationis omnibus gentibus eſſe commune, inſtituere autem in fide ac religione, vt viua atque vera Eccleſiæ membra efficiantur, ad ſolos pertinere Chriſtianos, adeoque gratiam ſingularẽ hoc requirere. Verum ſi argumentum inde formari deberet, tale eſſet: Quicquid gratiam Dei requirit, illud eſt Sacramentum. Sed hæc propoſitio perquam falſa eſt, nam primo Chemnitius *loc. cit.* ſatis ſuperque iam oſtendit, quamlibet Dei gratiam non ſufficere ad ſacramentum, ſed Euangelii propriam ritui externo de peccatorum remisſione annexam. Deinde idem haud dubie finis matrimonii fuit in Veteri Teſtamento, nec minus ibi requirebatur gratia diuina ad inſtitutionem liberorum, qui in vera fide & religione pariter educari debebant *Deut. VI. 7 XI. 19.* ergo oportet vt iam tum fuerit ſacramentum. Quod ſi concederetur, non dici poſſet matrimonium eſſe ſacramentum Noui Teſtamenti. Non ergo ſufficit, requiri gratiam, ſed gratiam conferre debet, quod dici de matrimonio nequit. Nam ſi hoc gratiam conferret, non tam praua poſſet eſſe educatio liberorum inter Chriſtianos, vti hodie cernitur. Quid quod optimi etiam parentes ſæpe maxime immorigeros habeant liberos?

Ratio II.

Reſpondetur.

Ratio III.

§. XXXIV. Tertiam rationem ſumit Bellarminus a ritu & ceremoniis, inquiens: iam ab exordio Eccleſiæ matrimonium inter res ſacras habitum eſſe, & inter ſacrorum ſolennia per ſacerdotem miniſterium celebrari ſolitum, nec patres vnquam cum rebus ſanctiſſimis matrimonium coniunxiſſe, ſi eſſet contractus humanus. Sed primo reſpondetur, nondum hoc expeditum eſſe, ab exordio eccleſiæ vſitatam fuiſſe benedictionem ſacerdotalem, ceu demonſtrabimus infra Cap. III. Deinde falſa eſt propoſitio, quod ab exordio & a Patribus rebus ſanctiſſimis iunctum, illud eſt ſacramentum, alias enim omnia negotia ſacra eſſent ſacramenta, maxime quæ fiunt per ſacerdotes, vt conciones, orationes &c. Similiter ſe res habet circa miniſterium ſacerdotum, etenim nemo, qui ſanæ mentis eſt, a miniſterio ſacerdotis ad ſacramentum concludet, ſiquidem ſacerdotum miniſteria ſe non ſolum ad ſacramenta extendunt, ſed ad quaslibet alias Eccleſiæ res.

Cui reſpondetur.

Ratio IV.

§. XXXV. Denique quarta Bellarmini ratio eſt conſenſus totius Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, quamuis autem in ſuperioribus iam ex eodem adduximus conſenſum Patrum, ex quo ſuam itidem defendere conatur ſententiam, in hoc tamen præprimis notari meretur, quod ipſe ſuam incertitudinem de conſenſu Patrum Primitiuæ Eccleſiæ prodat, inquiens: *Eccleſiæ totius conſenſum haberi ab annis ſaltem quingentis, nam a tempore Magiſtri ſententiarum omnes Theologi ſummo conſenſu docuerunt, ſeptem eſſe nouæ legis ſacramenta, & inter ea matrimonium ſemper numerarunt.* Ex quo apparet, eundem de Patribus ante Lombardum non fuiſſe ſatis certum. Hunc Eccleſiarũ conſenſum piis ac modeſtis Chriſtianis omnino ſufficere debere exiſtimat, etiamſi argumentum præterea

nullum

nullũ haberent, quamuis enim in ſcripturarũ & Patrum explicatione facile lapſus poſſit committi, Eccleſiam tamen nunquam deficere neque errare, & hoc tam aperte, tam luculenter, tam diſerte ab ipſo Chriſto & eius Apoſtolis dictum eſſe, vt nihil clarius, nihil apertius, nihil expreſſius dici poſſit. *Matth. XVI. 1. Tim. III.* Sed hoc ipſi plus obeſt quam prodeſt, nam primo loco Lombardum adducit, & poſt eum turbam Scholaſticorum, Pontificum, & Conciliorum, quo pacto tacite fatetur, per mille & centum annos poſt Chriſtum, conſenſum hunc Eccleſiæ non adfuiſſe. Cum autem a quingentis annis corruptiones Eccleſiæ plurimum inualuerint, quid mirum, ſi etiam hic error in eam peruaſerit? Nec eſt nouum, concilia maxime illis temporibus, errores multos aut firmaſſe, aut inueniſſe, non enim concilia, ſed laruæ conciliorum ea fuerunt. Quod autem de infallibilitate Eccleſiæ adducit, ad id iam ſatis reſponſum eſt a noſtris, vt plura nunc addere ſit ſuperuacaneum. In ſcriptura autem altum de hoc ſacramento eſſe ſilentium, a nobis ſupra ſufficienter demonſtratum eſt. Reſpondetur.

§ XXXVI. Hæc omnia autem longe fuſius deduci potuiſſent. Verum cum innumera hac de re extent noſtrorum Theologorum ſcripta, maluimus quam breviſſimis nos hac in parte expedire, & de cetero lectorem ad Theologos remittere. Ad præguſtum vero aliquem de hac controuerſia capiendum, hæc forte ſufficere poterunt. Nos iam ad ſpecialiora progredimur, reliquias huius principii nunc ordine expoſituri. Remittitur Lector ad ſcripta Theologorum.

CAP. II.

DE RELIQVIIS SACRAMENTI IN CAVSIS SPONSALIORVM.

§. I.

Ingreſſus.

POſtquam itaque in præcedenti Capite ipſum Pontificiorum dogma expoſitum & reiectum eſt, nunc ad rem ipſam accedimus demonſtraturi, quam variæ illius principii reliquiæ apud nos remanſerint, quæ ex nullo alio ſolido principio, quam ex iſto deriuari poſſunt. Sed vt ordine procedamus, prius illa, quæ circa ſponſalia occurrunt, ſiſtemus & quantum fieri poteſt, perſpicue demonſtrabimus, in multis caſibus, communis ſententiæ, cui tam pertinaciter inſiſtunt Doctores, & quam nimis improuide receperunt Conſiſtoria noſtra, vix aliam rationem quam ſacramenti ſubeſſe.

Cauſæ matrimoniales communiter dicuntur ſpirituales,

§. II. Liceat autem, antequam ad ſpecialia progrediamur, prius illam Doctorum ſententiam perpendere, qua cauſas matrimoniales inter ſpirituales referunt noſtri. Equidem illud fateri coguntur, cauſas matrimoniales non pure ſpirituales eſſe, attamen eas nec pure ciuiles, ſed mixtas, h. e. partim ſpirituales, partim ciuiles eſſe, ſtatuunt. Quam ſententiam defendit Carpzou. *Iurispr. Eccleſ. l. 2. d. 1. n. 17. ſeqq.* Finckelthaus *de Iure Patron. c. 4. n. 16.* aliique. Hinc etiam porro ſtatuunt eatenus illas cauſas ſpectare ad iudicium eccleſiaſticum, quatenus ſunt ſpirituales.

& ad Iudicium Eccleſiaſticum ſpectare.

Quæ tamen ſententia eſt

§. III. Quodſi autem illam ſententiam accurate examinemus, facile apparebit, eam pertinere ad reliquias

reie-

reiecti principii, quod matrimonium ſit ſacramentum: Ita Zieglerus *ad Lancell. lib. 3. tit. 1. §. 3. ad verba: qualis eſt matrimonii:* eandem quidem ſententiam retinet, cauſas ſc. matrimoniales eſſe mixtas, & ita aliquando ad forum eccleſiaſticum, aliquando ad forum ſeculare pertinere, ſed fatetur tamen, hoc deſcendere ex falſo illo principio. Verba eius hæc ſunt: *Potisſima autem ratio, quod cauſæ matrimoniales iurisdictione magiſtratus ciuilis de iure Canonico eximantur, videtur eſſe iſta, quod inter Canoniſtas matrimonium habeatur pro ſacramento; Sed quam ineptum hoc ſit & ἀθεόλογον, oſtendimus lib. 2.* Vnde etiam Finckelthaus *cit. loc.* dicit: *Ratio ſecundum Canoniſtas eſt, quia matrimonium eſt ſacramentum. Ratio noſtratium eſt, quia licet matrimonium ſacramentum eſſe negetur, cauſæ tamen matrimoniales quantum ad inſtitutionem & myſterium eccleſiæ ſunt ſpirituales.* Quibus vltimis verbis tamen nihil aliud efficit Finckelthaus, quam vt oſtendat nos quidem non tam craſſe ſtatuere illud ſacramentum, ſubtilem tamen eius rationem adhuc ſupereſſe, quæ tantum alio colore tincta. Clariora extant veſtigia ſacramenti in Carpzovio, quando *d. tr. l. 2. d. 21. n. 7, 8.* hæc verba habet: *Idque eo magis, quia matrimonium non eſt contractus tantummodo ciuilis, ſed res conſcientiæ, & tale negotium, cui NB. character ſpiritualis eſt impreſſus, quippe fœdus matrimonii ſanctisſimum non tam a contrahentium conſenſu, quam Dei autoritate & voluntate dependet; eſtque NB. hinc matrimonium de cauſis ſpiritualibus ſiue eccleſiaſticis.* Vbi, vt certo certius conſtet, vnde ſua principia hauſerit, ſtatim pro demonſtratione ſententiæ ſuæ allegat *cap. 9. X. de hæreticis*, in quo capitulo matrimonium dicitur ſacramentum, vnde probare vult matrimonium eſſe de cauſis ſpiritualibus. Agnoſcunt autẽ ipſi pontificii, præter ſacramentũ nihil ſpiritualitatis ineſſe

ex reliquiis ſacramenti.

matrimonio, ſed eſſe merum contractum: hinc Thom. Thamburinus *Theol. Moral. l. 8. tr. 5. c, 1. n. 5.* dicit, matrimonium fidelium eſſe contractum naturalem & ſimul ſacramentum, atque ſequenti n. 6. aſſerit, matrimonium a fidelibus iniri poſſe, vt contractus tantum, & non vt ſacramentum. Eodem modo Couarruuius *Tr. de Matrim. P. 2. c. 7. §. 1.* aſſerit, matrimonio, per verba de præſenti inter fideles contracto ante copulam carnalem nullam aliam ſanctitatem ineſſe, quam quæ dependet ex ſanctitate ſacramenti. Add. M. Anton. de Dominis *Tr. de Rep. Eccl. l. 5. c. 11. n. 1. in fin.* Cum itaque ex his pateat iure Pontificio ideo ſpirituales dici cauſas matrimoniales, quia matrimonium eſt ſacramentum, & extra hunc reſpectum, matrimonium eſſe contractum mere naturalem, vnusquisque videt, qui non omni lumine orbatus eſt, vnde fluat illa ſententia noſtratium, qua matrimonium ad cauſas ſpirituales referunt, & illi characterem ſpiritualem impreſſum eſſe, aſſerunt.

Reſpondetur rationibus communis ſententiæ.

§. IV. Sed vt eo melius conſtet, hanc ſententiam eſſe ex reliquiis papismi, videamus, in qua parte matrimonii debeat conſiſtere illa ſpiritualitas. In tribus illam conſiſtere dicit Carpzouius *d. l. 2. def. 1. n. 17.* & (1) quidem in inſtitutione & myſterio eccleſiæ, qua in re conuenit cum eo Finckelthaus in verbis ſupra adductis. Verum, quod ad inſtitutionem diuinam pertinet, nulla omnino eſt conſequentia: hoc negotium a Deo inſtitutum eſt, ergo eſt ſpirituale. Etiam procreatio ſobolis a Deo inſtituta, quis vero illam ſpiritualem diceret? liberos parentibus debere obſequium, & ſubditos magiſtratui, a Deo inſtitutũ eſt, ergone hoc negotium eſt ſpirituale? Omnia officia hominum inter ſe, ex inſtituto & mandato Diuino fluunt, itaque omnia ſunt ſpiritualia; quid

quid inconuenientius dici poteſt? Porro negamus matrimonium in ſe eſſe myſterium, nec vllibi in ſacris literis hoc dicitur, nam quando Apoſtolus *Eph. V. 32.* dicit; *myſterium magnum eſt*, addit expreſſe, *loquor autem de Chriſto & Eccleſia.* Eſt itaque matrimonium non ipſum myſterium, ſed tantum externa figura myſterii illius, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. Vti autem figura non eſt res figurata, nec vmbra ipſum corpus, ita matrimonium non eſt ipſum myſterium. Poteſt enim res mere ſecularis & ciuilis ſignum & figura eſſe magni myſterii ſpiritualis, cum tamen illa ideo naturam ſuam non amittat. Addit Carpzouius, *dici tamen Deum expreſſe interuenire, & coniuges copulare*, ſed vnde hoc probare velit, non video, an enim in matrimonio Deus intereſt, an omnes copulat? Admitto hoc in coniunctione piorum, ſed non impiorum, quorum matrimonia Deo potius abominationi ſunt. Adeoque validum inde argumentum ad ſpiritualitatem matrimonii generalem duci nequit. Sed pergit Carpzouius *eod. n. 18.* eatenus cauſam matrimonii eſſe ſpiritualem & eccleſiaſticam, quatenus caſus conſcientiæ concernit: Verum hoc modo omnia alia negotia humana erunt ſpiritualia, quia fere nullum eſt, in quo non plures caſus conſcientiæ concurrant. Equidem ſatis notum eſt deciſionem caſuum conſcientiæ ſolos ſibi vindicare ſolere Theologos, ſed quam falſo fundamento, iam alii his temporibus docuerunt. nullum enim in foro conſcientiæ iudicem agnoſcimus, dolemus potius vices illorum, qui conſcientiam ſuam aliorum iudicio ſubmittunt, & ingentia reſponſa Theologica & Iuridica pro tranquillanda conſcientia ſua petunt. Hoc eſt primum fundamentum, quo matrimoniũ ad cauſas ſpirituales pertinere ſtatuit Carpzouius. Sequitur (2) aliud,

diſtinguit enim *n. 19.* Carpzouius, an quæſtio vertatur de ipſa matrimonii ſubſtantia, vinculo, iure & viribus eius ſiue de fœdere matrimonii, an vero de iudicio poſſesſorio ad repoſcendam vxorem; hoc caſu pertinere matrimonium ad ſeculare iudicium, illo caſu vero ad eccleſiaſticum & eatenus eſſe cauſam ſpiritualem. Enim vero vti Carpzouius illud ne minima quidem ratione probat, ita eadem facilitate id negare licet. Etenim accuratius inſpecta omnis illa quæſtio de ſubſtantia ſ. eſſentia, vinculo, iure & viribus matrimonii, pertinet ad forum externum: ad quod tamen nihil, quod ſpirituale eſt, ſpectat, ſed ad forum internum, vbi ſolus Deus iudex eſt. Vti enim de reliquis negotiis conſenſualibus eorumque vinculo, iure, & viribus, iudicare poteſt iudex ſecularis, cur non & de matrimonio. Si dixeris, matrimonium tamen a reliquis negotiis differt, quia in eo latet magnum illud myſterium vnionis Chriſti cum Eccleſia, reſpondeo, de hoc myſterio non moueri controuerſiam in foro externo; omnes enim quæſtiones, quæ occaſione matrimonii mouentur coram iudice, ſunt mere ciuiles & ſeculares. Probandum ergo eſſet, illas controuerſias matrimoniales ita eſſe comparatas, vt non ab alio quam eccleſiaſtico iudice posſint terminari. Ex quo corruit, quod (3) ſubiicit Carpzouius, tum tantum fori ciuilis eſſe cauſas matrimoniales, cum de facto quæritur, non ſi de iure; eadem enim hic recurrit reſponſio.

Oſtenditur, cauſas matrimoniales nullo modo eſſe ſpirituales.

§. V. Vt ergo conſtet, quo fundamento negemus, quidquam ſpiritualitatis ineſſe cauſis matrimonialibus, videndum, quisnam ſit genuinus conceptus rerum ſpiritualium & ciuilium. Scilicet res ſpirituales haud dubie tales eſſe debent, quæ (1) cauſam habent ſpiritualem, nam qualis cauſa, talis effectus; (2) vbi obiectum

iectum eſt ſpirituale, & (3) finis quoque mere ſpiritualis & vno verbo, illud negotium eſt ſpirituale, quod ſpiritu fit, perficitur & abſoluitur. Contra vero omnia, quæ fiunt actibus externis, mediis externis ad finem externum obtinendum, illa ſunt ciuilia, ac proinde ciuili iurisdictioni & imperio ſubſunt. Hæc communia principia non puto aliquem, qui non omnium rerum ignarus eſt, negaturum. Iam videamus, quales ſint cauſæ matrimoniales? Initur autem matrimonium conſenſu expreſſo, de re in poteſtate contrahentium conſtituta, & quidem mere externa, ſcilicet indiuidua vitæ conſuetudine ad finem externum, ſcilicet procreationem ſobolis & mutuum adiutorium, omnisque commodi & incommodi participationem & ultimo ad promouendam temporalem tam propriam quam reipublicæ felicitatem. Hæc itaque an non ſunt mere ciuilia, an non mere externa, foro humano ſubiacentia? qui ergo eiusmodi negotia iudicio ciuili ſubtrahunt, quæſo, quid faciunt aliud, quam vt Pontificiorum veſtigia preſſe ſequantur. Eſt enim Pontificiorum inuentum, quædam negotia mere externa & ciuilia inter ſpiritualia recenſere, tantum, vt ſtabiliatur dominatus clericalis & deminuatur poteſtas principum. Cum itaque viderent, hoc in cauſis matrimonialibus fieri non poſſe, niſi ſtatuatur, matrimonium eſſe ſacramentum, hoc dogma ab iis excogitatum. Dum ergo illud reiicimus, quo iure, quæſo, defendi poteſt ſententia illa, matrimonium eſſe rem ſpiritualem, & ita pertinere non ad ciuile, ſed eccleſiaſticum iudicium? Verum ne nimis paradoxa alicui primo intuitu videantur, adducam conſenſum Lutheri, qui *in libro* von Eheſachen *in præfat.* conqueritur, quod in cauſis matrimonialibus ſuam ſententiã exigant quam plurimi:

Niſi ex hypotheſi pontificia.

Comprobatur verbis Lutheri.

rimi:

rimi, Jch wehre mich faſt/ inquit, ruffe und ſchreye/ man ſolle ſolche Sachen der weltlichen Obrigkeit laſſen. Deinde expreſſis ſatis verbis ſubiicit: Es kan ja niemand leugnen/ daß die Ehe ein NB. euſſerlich weltlich Ding iſt/ NB. wie Kleider und Speiſe/ Haus und Hof (an ergo hæc etiam ſunt ſpiritualia?) weltlicher Obrigkeit unterworffen &c. Et poſtea: Darum will ich ſchlecht hin mit ſolchen unverworren ſeyn/ und bitte iederman/ er wolte mich damit zu frieden laſſen. Haſt du nicht Oberherren/ ſo haſt du Official - - Mir grauet auch NB. für dem Exempel des Pabſts/ welcher auch ſich am erſten in dis Spiel gemenget/ und ſolche NB. weltliche Sachen zu ſich geriſſen hat/ bis ſo lange/ daß er ein lauter Welt-Herr über Käyſer und König worden. Alſo beſorge ich mich auch/ der Hund möchte an dem Läpplein lernen Leder freſſen/ und mit guter Meynung verführet werden/ biß wir zuletzt auch wiederum aus dem Evangelio fallen in eitel weltliche Händel. Quæ vltima præcipue verba vtinam omnes Theologi penitus ponderarent! Optime ergo & ſolidiſſime Illuſtris Dn. Cocceius *in diſſ. de matrimonio momentario in Proleg. §. 1.* hac de re diſſerit, *ius noſtrum*, inquiens, *ciuile, negotium hoc matrimoniale reſpexit tanquam maxime ciuile, vti quoque in ſe & ſua natura eſt, nec vllum inter matrimonium & aliud quoddam negotium, in vita ciuili occurrens, verum ſubeſt diſcrimen, multo minus quicquam ſpirituale habet: aſt ius canonicum, cum Pontifices, cauſis hisce matrimonialibus ad eccleſiaſticum forum pertractis, ſibi clero-que ſuo multum lucri acceſſurum non vane coniicerent, matrimonium pro ſacramento venditare ſuſtinet.*

Laudatur Dn. Cocceius.

§. VI. Hac occaſione non poſſum, quin ingenue fatear, totã illam diſtinctionem inter iurisdictionem ſecularem & eccleſiaſticam eſſe purum putum figmentũ ponti-

Tota diſtinctio inter iurisdictionem ſecularem &

tificium, ac ita, dum a noſtratibus adhuc defenditur, vti antea ex Carpzouio aliisque vidimus, merito inter reliquias papatus connumerandum. Scilicet, vt ſummo digito rem oſtendam, exſurgente dominatu papali, neceſſarium vtique erat, vt ab imperio magiſtratus liberaretur clerus, & ita ſolius Pontificis iurisdictioni ſubiiceretur, inde Pontifices perſuadebant principibus ſuperſtitioſis, clericos tanquam perſonas exemtas, nulli poteſtati externæ, ſed tantum eccleſiæ ſubiectos eſſe, atque adeo poteſtatem eccleſiaſticam ſeparatam a poteſtate ſeculari effingebant, vt ita cauſæ clericorum tantum coram iudice eccleſiaſtico, hoc eſt, ipſo pontifice agerentur. Neque hoc ipſis ſufficiebat, ſed deinceps alias quoque cauſas, in quibus tantum aliquid ſpiritualitatis fingi poterat, ad idem iudicium trahebant, ac ita iurisdictionem ſuam ampliſſime promouebant. Hæc vero eſt origo diſtinctionis illius inter iudicium ſeculare & eccleſiaſticum, vti facile concedet, qui non hoſpes plane eſt in hiſtoria eccleſiaſtica. Tempore reformationis itaque reſtituebatur principibus, quod ablatum ipſis erat a Pontificibus, & omnia illa negotia, quæ alias eccleſiaſticæ iurisdictionis erant, iterum iure quaſi poſtliminii, ipſorum relinquebantur arbitrio: Dn. Schilt. *de iur. Condomin. circa ſacra cap. 1. §. 5.* vnde ipſo iure deſinebat diſtinctio illa iurisdictionis, quia nunc vnus idemq; iudex erat in omnibus cauſis. Vtut itaque principes nihil iuris fuerint conſecuti, quod non antea habuerunt, vi iuris maieſtatici, (licet in exercitio quorundam iurium a Pontifice fuerint turbati) nihilominus tamen nouum ius Epiſcopale in principes translatum eſſe fingebatur a doctoribus, ideo, quia iurisdictio eccleſiaſtica, quam Epiſcopi exercere ſolebant, ad eos deuoluta; quod iterum erat

eccleſiaſticam ex reliquiis papatus.

Origo diſtinctionis.

Origo iuris epiſcopalis.

rat ex reliquiis papatus, quaſi princeps de cauſis eccleſiaſticis iudicare non poſſit, niſi vt Epiſcopus & ſub nomine & charactere perſonæ eccleſiaſticæ, conf. Pufend. *tr. de habitu relig. Chriſt.* §. 42. vbi oſtendit, principes ideo quia Chriſtiani ſunt, non eſſe Epiſcopos. His ergo principiis poſitis, exiſtimabant principes, neceſſe eſſe, vt diuerſum quoque conſtituerent iudicium eccleſiaſticum, in quo cauſæ eccleſiaſticæ tantum ventilarentur, vt ita perpetua maneret inter cauſas eccleſiaſticas & ſeculares diſtinctio, & hanc ob rem erecta ſunt conſiſtoria. Vnde factum eſt, vt cum illa iudicia apud nos manſerint diſtincta, cauſæ etiam a doctoribus adhuc ratione iurisdictionis diſtinguantur. Et hinc etiam diſtinctio inter cauſas ſpirituales & ſeculares improuide a doctoribus retenta, aliaque quam plurima in conſiſtoriis vſitata non niſi papiſmum redolentia. Quis ergo eſt, qui non reliquias papatus hic animaduertat? Quod qui negat, ille oſtendat aliud fundamentum, ex quo conſtare liquido posſit, neceſſario eccleſiaſticas cauſas, vt uocantur, ſeparari debere a cauſis ſecularibus, nec vnum omnium iudicem eſſe poſſe. Recte omnino Zieglerus *ad Lancel. lib. 3. tit. 1. §. 2. ad verba: Eccleſiaſtica vero ſunt*, ita disſerit: *Eccleſia, qua talis nullam habet iurisdictionem, nullum iudicium; ſed ſicut finis eius totus ſpiritualis eſt, ita & poteſtas eccleſiæ & miniſtris eius competens, alia eſſe nequit, quam ſpiritualis.* Si hoc, certe nulla eſt iurisdictio eccleſiaſtica externa. Sed inſtares, vtique cauſas eccleſiaſticas diſtinctas a ſecularibus dici debere, quia in Conſiſtoriis etiam adhibentur Theologi. Ego hoc ideo factum eſſe arbitror, quia multæ cauſæ in conſiſtoriis agitantur, quæ ex ſola ſcriptura ſacra decidendæ, iureconſultorum autem vt plurimum ſupina hac in parte eſt ignorantia, vtpote

Origo Conſiſtoriorum

An in Conſiſtoriis neceſſario Theologi eſſe debeant.

pote qui communiter legibus humanis & quidem gentilibus, quam diuinis delectantur, interim neceſſitatis non eſſe, vt præciſe adhibeantur Theologi, ſed ſi opus ſit, eorum conſilium ſemper expeti poſſe, recte docuit Brunnem. *iur. eccl. l.3. c.1. §.5.* cum quo & lubenter conſentimus, a ſemel recepto more non facile recedendum eſſe, cum nimis adhuc imperiti iurium diuinorum ſint ICti. Interim non pauci ex Theologis deſuper conqueſti ſunt, quod tempus maioribus negotiis deſtinatum meris cauſis externis & ſecularibus in Conſiſtoriis impendere teneantur. vid. Biedenbachii epiſtola apud Dn. Fechtium *P.3. Epiſt. Theol. p.309.*

§. VII. Ex illis autem quæ ante dicta ſunt, facili coniectura & hoc ſequitur, nullius plane in cauſis matrimonialibus auctoritatis eſſe poſſe ius canonicum, cum tot falſis hypotheſibus nitatur, & in ſpecie in matrimonialibus fere omnes deciſiones ex illo principio, quod matrimonium ſit ſacramentum. Vt adeo mirum ſit, quare Carpz. *Iur. Conſ. l.2. def. 14. n.12.* aliique Doctores communiter, tanto conatu hac in parte defendant autoritatem iuris Canonici. Poſſemus hoc iure carere, maxime cum illud plane non conueniat cum ſtatu noſtrarum eccleſiarum, vid. Dn. Præſ. *ſpec. programm. de verb. vſ. iuris eccleſiaſtici*, atque plus mali quam boni inde in noſtras eccleſias profluxerit vid. Conrig. *de Orig. iur. Germ. c.26.* Doluit itaque vehementer Lutherus, quod ICti ſemper adhuc deciſiones cauſarum matrimonialium aliarumque ex iure Canonico petant. Vid. Dn. a Seckendorff *Hiſtor. Lutheran. l.3. p.580.* Conſtat enim ex ſupra dictis, quo fundamẽto pontifex matrimoniales cauſas ad ſe traxerit, & quam male eius principia cum ſcriptura ſacra cohæreant, ceu præter alios etiam demonſtrauit Philipp.

Relicitur auctoritas iuris Canonici.

Me-

Melanchthon *Tom. I. Conſil. p. 436.* & Theodoſius Gibellinus *in Cæſarea papia Rom. p. 219. 227. & 527.* Solide igitur hac de re diſſerit Excell. Dn. Bodinus *in diſſert. de Error. Commun. circa matr. th. 3.* his verbis: *Quia indubitatum eſt, iure canonico matrimonium pro ſacramento haberi, c. 1. X. de ſponſ. duor. cum ſimil. ac in illo dominatum, ſi non tyrannidem clericalem & pontificialem præprimis intendi, & hoc fundamento pleraque illius iuris dogmata niti, hæc autem omnia ab eccleſia noſtra reiici, facile apparebit, quam minus apte illud pontificium ius in ſocietate tali, ex qua omne Reipublica, imo & ipſorum contrahentium temporalis & æterna ſalus dependet, hic pro norma adhibeatur.*

Progreſſus ad Sponſalia,

§. VIII. A iurisdictione itaque cauſarum matrimonialium ad ipſas cauſas nos conferamus, & primo ad ſponſalia, vbi ſi conſideramus varias diuiſiones ſponſaliorum, primo omnium ſe ſiſtit illa, qua ſponſalia Iur. Can. dicuntur vel de præſenti vel de futuro. Illa dicuntur fieri verbis præſentis temporis: Duco te in vxorem; hæc vero verbis futuri temporis: Ducam te in vxorem. *c. 2. 5. 22. & 31. X. de Sponſal.* vid. Thom. Tamburin. *Theol. moral. lib. 8. tr. 3. §. 3. n. 7. ſeqq.* Per verba de futuro nondum contrahi matrimonium dicunt, ſed ſponſalia de præſenti eſſe ipſum matrimonium, cui nihil amplius deſit quam conſum̃atio per benedictionem ſacerdotalem. Cum itaque matrimonium dicant Sacramentum eſſe, & matrimonium initiatum a conſummato diſtinguant, ac ſponſalia perfecta, hoc eſt de præſenti pro initiato matrimonio habeant, hinc etiam ſponſalibus de præſenti initiari ſacramentum & benedictione conſummari aſſerunt. vid. Lancellott. *inſtit. I. C. lib. 2. Tit. 10. §. 11. & tit. 11. §. 1.* Zieglerus *in not. ad Lancell. l. 2. tit. 16. §. 4.* vbi dicit: Fatentur ipſi Pontificii, Sacramenta matrimonii

quæ iure pontificio ſunt vel de præſenti vel de futuro.

Sponſalia de præſenti dicuntur ſacramentum initiatum.

tum

totum & plenum, quantum ad partes eſſentiales inueniri in contractu per verba de præſenti. Hinc eſt quod ius Canonicum in ſpecie verba de præſenti matrimonio requirat, niſi enim iam adſit conſenſus in matrimonium, nondum adeſt matrimonium; contra vero, cum hoc per talia verba contrahatur, matrimonium autem ſit ſacramentum penes ipſos, hinc ſponſalibus de præſenti, iam iniri & contrahi ſacramentum dixerunt. vid. Ill. Dn. Stryk. *tr. de Diſſ. Sponſal. Sect. 3. §. 17.* Addatur Gerhardus *loc. de Coniug. §. 130.* vbi etiam, illis verbis de præſenti formam ſacramenti conſtitui apud Pontificios, aſſerit. Tandem res clariſſima eſt ex *c. 1. X. de Sponſa duorum*, vbi de ſponſalibus tantum & nondum de matrimonio agitur, & tamen cur illa non ſint reſcindenda, additur ratio: *non enim reſcindi tantum debet Sacramentum.* Quorſum & facit *c. vlt. X. de Transact.* vbi agitur de ſponſalibus de præſenti, an per transactionem diſſolui poſſint, nam de matrimonio conſummato nullum dubium eſſe poterat, & talia ſponſalia vocantur *coniugii ſacramentum.* Vt adeo ſatis conſtet apud Pontificios iam ſponſalibus iniri ſacramentum.

§. IX. Ex his autem iam per ſe patet, hanc diſtinctionem perperam a noſtris retineri, cum tamen non alio fundamento nitatur, quam illo, quod ſponſalibus de præſenti contrahatur, & initietur ſacramentum. Quod primum contra illos notandum, qui adhuc apud nos etiam diuerſitatem horum ſponſaliorum in diuerſitate verborum quærunt, an illa a verbis præſentis, an verbis futuri temporis, concepta; quæ ſententia nō modo moribus noſtris plane inconueniens eſt, ſed & ſi quandoque ſtatim in præſenti matrimonium contraheretur, hoc tamen non eſſent ſponſalia, ſed matrimonium ipſum

Perperam ergo retinetur hæc diſtinctio.

Sed horum quidem ſunt pauciſſimi. Alii, & quidem plerique explicationem illam Iur. Can. a diuerſitate temporis deſumtam reiiciunt, ſed retinent tamen ipsam diſtinctionem atq; vario modo eandem explicant, vno ſic, alio aliter ſentiente, vid. Gerhard. *d. l.* §. 130. Chemnit. *loc. de coniug. c. 1.* quas diuersas ſententias hic recensere non eſt operæ pretium, neque ad inſtituti rationem pertinet. Hoc tantum addimus, fruſtra laborari de bene explicanda diſtinctione, quæ non niſi falſo & a nobis reiecto fundamento nititur. Dum enim ſecundum receptam in noſtris conſiſtoriis ſententiam ſponsalia de futuro conditionata, & ſponsalia de præsenti pura dicuntur, quid aliud efficitur, quam vt duæ diſtinctiones diuersæ confundantur? Et cur non omittimus potius diſtinctionem ſponſaliorum de præſenti & de futuro, & retinemus hanc in pura & conditionata, ſi ea pro ſynonymis habemus? Entia certe non ſunt multiplicanda præter neceſſitatem. Deinde, licet rem commodius explicare ſtudeamus, ſponsalia de futuro dicendo pactiones de futuris ſponsalibus, de præsenti autem, vbi præſens conſenſus ſponſalitius; vti omnino rectius alii rem definiunt, vid. Dn. Stryk *d. Tr. de diſſenſ. ſponſal. ſect. 1.* §. 25. Interim tamen non apparet, quid lucremur illa diſtinctione etiamſi eam retineamus, niſi vt variis litibus & controuerſiis occaſionem ſuppeditemus; rem enim omnem ex natura pacti & contractus explicare poſſumus, etiamſi diſtinctionem inter ſponsalia de futuro & de præsenti ignoremus.

Falſum eſt, ſponſalia de præſenti eſſe ipſum matrimonium.

§. X. Verum non tantum circa verba diſtinctionis ſumus ſolliciti, patimur enim libenter verbis ſuis delectari Doctores, ſed circa effectum quædam maioris momenti dicenda. Papizat autem egregie Carpzouius

cum

519

cum iis, quos ſequitur, & qui ipſum ſequuntur, quando *Iuriſpr. Conſiſt. l. 2. d. 17.* defendit, per publica ſponſalia de præſenti ipſum contrahi matrimonium, vti rubrica definitionis habet. Vbi in ipſa definitione *n. 6.* ſtylo admodum papali dicit: *Eiusmodi ſponſalia pro nuptiis & matrimonio initiato* (cur non etiam addidit ſacramento initiato?) *licet nondum benedictione eccleſiaſtica firmato & conſummato habentur.* Vnde etiam æque indiſſolubilia dicit ſponſalia vt matrimonium, addita ſemper ratione, quia ſponsalia ſunt matrimonium inchoatum. *l. 2. d. 65. n. 9. ſqq.* Gemina habet *d. l. 2. d. 83. n. 6. d. 100. n. 9.* & *in Reſponſ. Elect. 108. l. 5.* vbi an ouum ouo ſimilius ſit, quam hæc doctrina doctrinæ Pontificiorum prudentioribus iudicandum relinquo. Nihil ſane deficit, quam vt modo expreſſe dicatur inchoari ſacramentum ſponsalibus de præſenti. vid. Dn. Stryk. *d. tract. §. 16.* vbi pariter falsum Pontificiorum fundamentum hic ſubeſſe aſſerit.

Et æque indiſſolubilia vt matrimonium.

§. XI. Sed videamus rationes Carpzouii, ex quibus ſententiam ſuam ſtabilire intendit, ne præter neceſſitatem ad rationem Sacramenti confugiſſe videamur. Rationes autem has affert *d. l. 2. d. 17. n. 7. ſeqq.* (1) Quia conſenſus non concubitus facit nuptias, inde fieri non poſſe, vt non contrahantur nuptiæ per ſola ſponsalia, ipsumque inchoetur matrimonium. Inde (2) ſponsam etiam vxorem, & ſponſum maritum dici, non tantum in legibus humanis, ſed & in Iure Diuino. *Gen. XIX. 14. Deut. XXXII. 24. Matth. I. 20.* (3) Partes contrahentes videri magis matrimonium quam ſponsalia contrahere voluiſſe; & (4) interpretationem hic etiam contra eum faciendam eſſe, qui legem cõtractus dicere potuit apertius.

Rationes illius ſententiæ IV. exhibet Carpzouius.

Reſpondetur ad primam rationem.

§. XII. Sed his tamen non obſtantibus adhuc puto, falſam eſſe doctrinam, quod ſponſalia ſint matrimonium, & ex ſolo iſto falſo principio ortam. Nam quæ aliæ prætenduntur rationes, omnino nullius momenti ſunt. Concedo enim (1) conſenſum, non concubitum facere nuptias: ſed hoc non obſtante, adhuc aliud eſt ſponſalia inire, aliud matrimonium contrahere. Scilicet diſtinguendus eſt conſenſus ſponſalitius a conſenſu matrimoniali, vti ipſa natura negotii hæc duo diſtinguenda eſſe iubet. Conſenſus ergo matrimonialis facit nuptias, ſed non conſenſus ſponſalitius; hic vero ſolus adeſt in ſponſalibus, non ille. Qui ſponſalia contrahunt, nunquam eam intentionem habent in præſenti matrimonium contrahere, quamuis certo ſibi promittant, ſe contracturos matrimonium. Conſenſus enim matrimonialis demum accedit in actu deſponſationis ſacerdotalis, & conſummatur per coniunctionem corporum. Vnde hoc ſenſu hodie omnia ſponſalia eſſe de futuro, hoc eſt, futurum matrimonium reſpicientia, ſatis iam ab aliis probatum eſt, vid. Dn. Stryk. *d. tract. ſect. 4. §. 7.* Immo cum Carpzouius & alii communiter ſponſalia de præſenti & ſponſalia pura hodie pro iisdem habeant, quæſo annon ſponſalia pura reſpiciunt futuras nuptias? Vtique. Differunt ergo ſponſalia & nuptiæ vt antecedens & conſequens, atque adeo non ſunt idem: vti hora prima non eſt eadem ac hora ſecunda; ius ad rem non idem quam ius in re &c. Porro quando (2) ſponſa vxor & ſponſus maritus dicitur, hoc oſtendit quidem conuenientiam quandam in aliquo tertio, ſed non identitatem rei. Quæ autem in vno conueniunt, non ſtatim pro iisdem habenda. quid quod in pluribus diſcrepent, quam conueniant Dn. Stryk. *d. l. §. 8. 9.* Nec obſtant loca

Ad ſecundam.

ſcri-

ſcripturæ adducta, nam quid locus *Gen. XIX. 14.* contra nos probare debeat, non apparet. Sponſum generum ibi vocatum eſſe video, vti & hodie interdum communi loquendi modo ita vocatur, inde tamen non ſequitur, ergo iam adeſt matrimonium, vbi quis gener vocatur. Iure ciuili manifeſtum eſt, ſponſalia diſtingui a nuptiis, cum illa dicantur mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum *l. 1. ff. de ſponſal.* Et tamen *generi & nurus appellatione ſponſus quoque & ſponſa continetur, item ſoceri & ſocrus appellatione ſponſorum parentes contineri videntur*, vt loquitur Vlpianus *in L. 6. §. 1. ff. de grad. & affin.* add. *L. 8. ff. eod.* Vnde manifeſtum eſt, communem appellationem non ſtatim inuoluere identitatem rei. Sic & locus *Deuter. XXII. 24.* nihil contra nos facit. primo enim dubium eſt, an ibi de femina tantum deſponſata, annon de caſu matrimonii iam contracti, cui tamen copula carnalis nondum acceſſit, agatur. Deinde alia ratio eſt, cur ſponſa cum alio concumbens æque ac adultera puniatur, quia in hoc tertio ſponſa cum vxore conuenit, quod neutra habeat ius cum alio licite concumbendi. Ad exemplum Ioſephi & Mariæ, ex *Matth. I. 20.* deſumtum reſpondeo, inter hos iam verum matrimonium fuiſſe, non nuda ſponſalia; neque enim quod poſtea demum matrimonium contraxerint, dicitur: nemo tamen poſtea dubitauit, eos fuiſſe coniuges. Quod vero ad tertiam rationem Carpzouii attinet, reſpondetur, non poteſt videri, quod aliter factum eſſe apparet; præſumtio cedit veritati. Dum partes ſponſalia inire voluerunt, ſatis conſtat, non voluiſſe tum temporis contrahere matrimonium. Neque hic agitur de caſu, quo dubium, an ſponſalia, an matrimonium contractum ſit, ſed de caſu, quo certum eſt, tantum contracta eſſe ſponſalia, Ad tertiam.

 an

Ad quartam. an hæc pro ipso matrimonio habenda ſint. Hinc & quarta ratio corruit, quia & illa præsupponit casum, vbi ob dubia verba deſponsationis non poteſt conſtare, an ſponsalia, an nuptias contraxerint partcs, de quo casu non agimus.

Carpzouius ſibi ipſi contrarius eſt. §. XIII. Sed quid multis? Carpzouius ſibi ipſi eſt contrarius, nam *l. 2. d. 66. n. 17. 18.* noſtram ſententiam manifeſto defendit. eius verba hæc ſunt: *Certiſſimum hinc eſt, ſponſalia & nuptias non coincidere, ſed verum NB. & perpetuum inter ea eſſe diſcrimen, quale eſt inter promiſſionem & promiſſi exhibitionem, inter ſpem & rem, inter candidatum iuris & Doctorem, inter cingendum & cinctum, inter electionem Regis & coronationem, inter præſentationem ad officium & confirmationem. Quibus ita ſtantibus non facile quisquam negauerit, matrimonio potius quam ſponſalibus faueri, ſponſalia facilius quam matrimonium diſſolui, coniugium perfectum initiato, rem ipſam ſpei factæ præponderare &c.* Ita etiam *d. l. 2. def. 130. n. 7. ſeqq.* plures ſuppeditat inter ſponsalia & matrimonium differentias (1) ratione nominis (2) ratione definitionis, (3) ratione formæ, (4) ratione materiæ (5) ratione finis, (6) ratione effectus, (7) ratione adiuncti. Nunc quæso, an illa, quæ tot modis a ſe inuicem differunt, idem eſſe dici poſſint? Imo *ead. def. n. 5.* & *6.* rationem, quam ipse antea pro contraria ſententia attulit, quod ſcilicet ſponsa iure diuino vocetur vxor, iterum reiicit, & dicit denominationem in textibus ſacris ab euentu futuro peti, ſponsam a Mose vocari vxorem, non quæ tunc erat, ſed quæ futura erat vxor. Sed hæc B.L. non miretur, quia non infrequens eſt, Carpzouium in ſuis ſcriptis ſibi ipſi contradicere. Nobis ſufficit, ipsum proprio, vt dicitur, gladio iugulaſſe.

Iur. Can. ſponſalia de præſen. §. XIV. De concurſu ſponſaliorum de futuro & de

de præſenti quædam etiam dicenda, vbi I. Canon. generalis regula obtinet, quod ſponſalia de præſenti præferenda ſint ſponſalibus de futuro, etiamſi hæc priora fuerint, idque non tantum in ſimplici desponſatione obtinet, ſed & ſi iurata fuerit. Per textum *in cap. 22. & 31. X. de ſponſ. & cap. 1. X. de ſponſ. duor.* Quod ſi rationem deſideres, quare hoc ita ſtatutum ſit, nullam ſolidam inuenies. Conſtant enim ſponſalia de futuro certo conſenſu & pacto, vti *d. c. 22.* agitur de caſu, quo quis patri puellæ, quod eam ducturus ſit in matrimonium, iurato promiſit, & tamen ibi poſteriora præferuntur ex falſa ratione, quia per verba præſentis temporis concepta ſunt. Non ergo alia ratio dari poteſt, quam quia poſteriora ſponſalia de præſenti ſunt ipsum matrimonium, ac ita ſacramentum initiatum, quod ob ſolam promiſſionem antecedentem irritum reddi nequit. Vti & Barboſa ad *c. 22. n. 1.* eam rationem reddit, quia ſponſalia de præſenti contracta ſunt matrimonium. Add. Gonzalez Tellez *ad d. c. n. 3.* Caniſius *ad id cap.*

ti præferuntur prioribus de futuro. Etiamſi priora fuerint iurata, idque ex ratione ſacramenti.

§. XV. Nihilominus noſtri defendunt eandem ſententiam, vti videre eſt apud Carpzouium *l. 2. def. 18. n. 2.* vbi expreſſe ſatis aſſerit, ſponſalia de futuro per ſponſalia ſubſequentia de præſenti diſſolui, prouocans ſimul ad *cit. c. 22. X. de ſponſal.* propterea recte refutatus ab Ill. Dn. Stryk. *d. Tract. ſect. 1. §. 33.* Equidem videtur Carpzouius excuſari poſſe ideo, quod per ſponſalia de futuro intelligat nudos tractatus matrimonii, ex quibus nulla adhuc nata eſt obligatio, qualis caſus etiam ſupponitur in præiudiciis ab eo allegatis. Verum ſic non debuiſſet ad *ad d. cap. 22. & c. 2. X. de ſponſal.* prouocare, vbi non agitur de nudis tractatibus, ſed de caſu, quo omnino aliqua præceſſit obligatio. Sponſalia enim de futuro quocunque modo explicentur, ita tamen explicari debent, vt

Idem defendunt noſtrates ſed male.

aliqua

aliqua ſaltem adſit obligatio, alias nihil plane actum & ſic tale negotium ne quidem nomine ſponſalium de futuro venire poteſt Dn. Stryk *d. ſect. 1. §. 26.* Meris ergo tractatibus præcedentibus non poteſt dici, poſteriora ſponſalia prioribus præferri, vti dixit Carpzouius, quia nulla adſunt ſponſalia priora. Ponamus ergo, adfuiſſe priora ſponſalia, quibus aliqua obligatio contracta, etiamſi pro præſentibus haberi non poſſint, v. g. ſi quis non quidem ſponſalia cum Titia contraxerit, promiſerit tamen, quod ſi matrimonium initurus ſit, nullam aliam præter eam ducere velit; quale exemplum ſponſaliorum de futuro ſuppeditat laudatus Dn. Stryk *d. l. §. 27.* Hoc certe caſu, etiamſi quis poſtea cum alia contrahat ſponſalia pura & de præſenti, non tamen poſſunt hæc poſteriora ratione ſolida præferri, cum facultatem ſe deſpondendi alteri non habuerint; niſi ad rationem ſacramenti initiati confugere velimus, quod tamen ſaluis principiis noſtris facere non poſſumus.

Iur. Can. ſponſalia pura poſteriora præferuntur conditionatis prioribus.

§. XVI. Pergimus ad aliam diuiſionem ſponſaliorum, quatenus ſponſalia ſunt vel pura vel conditionata: quamuis hæc diſtinctio ſponſaliorum cum priori, qua vel ſunt de præſenti vel de futuro, in conſiſtoriis confundi ſoleat. Quæritur itaque, ſi quis prius cum vna contraxerit ſponſalia conditionata, deinde cum alia pendente conditione ſponſalia pura, quænam præferenda ſint? Et poſteriora quidem præferenda prioribus patet ex *cap. 1. §. fin. de ſponſal. in 6. & c. 1. X. de ſponſ. duor.* Qui vltimus textus non quidem æque clarus eſt, vt prior, a canoniſtis tamen etiam pro deciſione allegatur, qui per *fidem pactionis*, quæ ibi ſub conditione fieri dicitur, intelligunt ſponſalia de futuro & conditionata, per *fidem conſenſus* autem ſponſalia de præſenti: res ipſa inter Ca-

noni-

noniſtas expedita eſt. Videamus autem de ratione Iur. Can. hæc vero non alia eſt, quam quia per ſponsalia pura & de præſenti ipsum contrahitur matrimonium & ita Sacramentum. Inde in *d. c.1. X. de ſponſ. duor.* ratio, quare ob fidem pactionis priori datam & violatam, pœnitentiam agere, cum vltima tamen, quam duxit (hoc eſt, cum qua matrimonium per ſponsalia pura & de præsenti contraxit) manere debeat, hæc additur: *Non enim reſcindi tantum debet Sacramentum.* Vt adeo hæc deciſio ex ſolo Pontif. principio, quod matrimonium ſit ſacramentum, illud vero etiam ſponsalibus contrahatur, fluat. — Ex ratione ſacramenti,

§. XVII. Quid autem hic noſtri faciunt? Sequuntur more ſolito Canoniſtas cœco impetu. vid. Carpzou. *Iurisp. conſiſt. l. 2. d. 70.* & alii ab eo citati, vbi & præiudiciis ſubiectis oſtendit erroneam illam ſententiam in Conſiſtoriis receptam eſſe. Sed dixeris forte, Carpzouium & reliquos Dd. alias rationes habere, vt adeo hæc ſententia ex ſola ratione ſacramenti deduci non debeat. Aſt videamus. Dicit (1) ſponsalia pura eſſe hoc caſu priora, quia contracta ante conditionis euentum, & ſic cum illa contraherentur, nulla ſponsalia adhuc aderant, hinc pura licet tempore videantur poſteriora, tamen hac ratione priora eſſe, & ſic vi prioritatis præferri. Neque (2) obſtare, quod conditio exiſtens ſoleat retrahi ad tempus conuentionis, nam dum, cum exiſtit conditio, alia iam adsunt ſponsalia valida, ſcilicet pura, hæc obicẽ ponere, ne retrahi conditio poſſit. Specioſum, fateor, argumentum eſt, ſi modo verum eſſet; ſed fallit & fallitur Carpzouius. Nam homini ſano nunquam perſuadebit, ſponsalia conditionata non eſſe ſponsalia. Hoc enim non magis verum eſt, quam ſi dicerem, pactum — Hinc male a noſtratibus eadem defenditur ſententia. — Rationes illius ſententiæ. — Refutantur.

ſub conditione initum non eſſe pactum. Sunt vtique ſponsalia & obligant etiam, non quidem ad consummādum matrimonium, ſed ad expectandum conditionis euentum. Dabimus inſtantiam: Vendidit quis equum, ſed cum certa conditione, poteritne hic venditor eundem equum durante conditione alteri vendere, ſub prætextu quod nullo priori contractu impediatur? Minime vero; quia præceſſit contractus, a quo venditori ante conditionis euentum recedere non licuit. Falsum ergo eſt, in hoc noſtro caſu ſponsalia pura eſſe priora, quia prius contracta ſunt ſponsalia conditionata. Hinc & altera ratio corruit. Nam figmentum eſt, ſponſalibus puris poſterioribus obicem poni prioribus: an enim vnus contrahentium proprio ſuo facto obicem ponere poteſt priori obligationi iam contractæ, quomodo hæc cum primis iuris principiis conciliabantur? Quocunque ergo te vertas, non effugies tela, niſi dixeris cum Pontif. poſteriora ſponsalia pura eſſe matrimonium & ſacramentum, & ita amplius rescindi non debere.

Contradictio Carpzouii notatur.

§. XVII. Sed Carpzouius hic iterum ſtrenue ſibi contradicit, nam eodem *lib. 2. defin. 21.* agit de quæſtione, an a ſponsalibus ſub conditione contractis pendente conditione reſilire & cum alia perſona pure ſponsalia inire liceat, & poſtquam ſententiam affirmatiuam adduxit, ſubiicit: *ſed NB. impia & periculoſa eſt hæc aſſertio; dicendum potius a contrahentibus expectari debere conditionis euentum, priusquam ad alia conuolent ſponſalia.* Idque probat (1) a natura obligationis conditionalis, (2) a grauitate matrimonii, & (3) ab absurdo, quod inde ſequeretur. Quæso, quomodo hæc cohærent? Equidem putat Carpzouius *d. def. 70. n. 2.* hoc tantum obtinere, ſi quis poſt priora conditionata, cum nulla adhuc alia contraxerit

pura

pura ſponſalia, hoc enim ſi iam factum ſit, vltima eſſe præferenda. Verum iudicet cordatus lector, an non hoc ſit ludere cum ſponſalibus, & vna manu negare, altera vero concedere. Neſcio, an eiusmodi variationes viro graui & conſtanti conueniant. Plura non addimus, nam quilibet absurditatem agnoſcit, conf. interim pro noſtra ſententia Brückner *deciſ. matrim. c. 4. n. 16. ſeqq.* Henric. Brouwer. *de iur. connub. l. 1. c. 22. n. 3. 4.*

§. XIX. Porro ſponsalia dicuntur vel *publica*, quæ publice cum conſenſu parentum & in præſentia teſtium celebrata, vel *clandeſtina*, vbi iſta deficiunt. Ita nos illa deſcribimus, quod ſi tamen accuratius conſideremus, quæ ſponſalia publica dixerint Pontificii, animaduertere licebit, eos non ſolum teſtium, ſed & parochi præſentiam & præcedentem denunciationem eccleſiæ factam requiſiſſe. Vti videre eſt ex iis, quæ tradit Thom. Sanchez. *de ſanct. matrim. Sacram. lib. 3. diſp. 1. n. 6. ſeqq. diſp. 2. & 17.* Vbi non niſi in caſibus neceſſitatis parochum abeſſe poſſe dicit *Disp. 18. & plur. ſeqq.* ſi autem porro inquirimus, quare pontificio iure parochus adeſſe debeat ſponsalibus publicis, facile patet, hanc eſſe rationem, quia per ſponsalia publica de præsenti contrahitur matrimonium, & ita ſacramentum. Docet id Sanchez *dict. l. 3. disp. 3. n. 9.* vbi primam eius causam hanc eſſe dicit: *quia religio ſacramenti poſtulat, vt magna reuerentia & deliberatione aſſiſtente miniſtro eccleſiæ recipiatur.* Notum enim eſt, nullum ſacramentum ex mente pontificiorum niſi a ſacerdote celebrari poſſe. Ex quo ipſo ſimul ſua ſponte consequitur, eandem eſſe rationem I. Can. quare clandeſtina ſponsalia inualida pronunciauerit. Scilicet, quia non adfuit parochus cum teſtibus, & ita non ſunt ſacramentum.

Ad ſponſalia publica parochi præſentiam requirunt Pontificii.

Propter rationem ſacramenti.

Hinc clandeſtina ſponſalia erant inualida.

Fluit inde, quod apud nos etiam parochus in ſponſal. adhiberi ſoleat.
Et ſponſalia clandeſtina indiſtincte pro inualidis habeantur.

§. XX. Ex eodem principio deſcendere putamus, quod hodie in ſponſalibus publicis communiter adhibere ſoleant miniſtrum Eccleſiæ. Sed quia hoc de neceſſitate non requirunt, ideo non diutius inſiſto, id tantum addens, quod multum ſuperſtitionis ſubſit. Hoc vero annotandum hoc loco eſt, ex eodem fonte deſcendere, quod Doctores noſtri, tam Theologi quam ICti, adeo generaliter & indiſtincte ſponsalia clandeſtina pro nullis & inualidis habeant. Erunt vtique inualida ſponsalia clandeſtina, ſi lege publica prohibita & irrita reddita, aut ſine parentum conſensu contracta fuerint. Quod ſi autem quæramus de ratione, cur hoc legibus noſtris receptum, deficit illa, niſi ad rationem ſacramenti confugere velimus. Conſtat enim iure naturæ & diuino, ſponsalia clandeſtina a liberis hominibus in poteſtate parentum non conſtitutis contracta, æque obligare quam alia, cum modus declarandi conſensum ſponsalitium, illo iure determinatus non ſit, vti ſolidiſſime Illuſtriſſ. Dn. Stryk. *d. tract. de diſſ. ſponſal. ſect. 1. §. 36.* oſtendit. Quod autem ex nulla, nec naturalis nec diuini iuris ratione comprobari poteſt, & ex iure Canonico receptum, illud non poteſt non ex ſolo iuris Canonici falſo principio deriuari. Hinc etiam ſi caſum ſupponamus, vbi talis prohibitio legum non adeſt & contrahentes ſui iuris ſunt, ex iuſta tamen cauſa ſponsalia ſine teſtibus contraxerunt, quibus alias nullum ineſt vitium, tum nihilominus illa inualida dicunt Doctores, ſed vt diximus ſine vlla ſolida ratione. Cum enim omnes contractus conſenſuales ſolo conſensu perficiantur, & teſtes ad validitatem actus non ſint neceſſarii, non video, quare præciſe hoc negotium, in quo pariter omnis obligatio ex conſensu naſcitur, ideo nullum eſſe debeat,

quod

quod teſtes non fuerint adhibiti. Niſi hic occultam rationem ſacramenti ſupponere velimus.

§. XXI. Equidem Carpzouius *l.2.def.32.* rationes reddit (1) a dignitate coniugii tanquam ſancta Dei ordinatione, (2) publica honeſtate, quæ non admittat in angulo de coniugio tractari (3) ab incommodis, quæ inde oriuntur. Verum non putamus, exinde ſatis contra nos concludi poſſe. Nihil enim decedit dignitati negotii, etiamſi id non in conſpectu aliorum fiat, modo alias inter contrahentes omnia honeſte agantur. Nec argumentum concludit, matrimonium eſt ordinatio diuina, ergo coram teſtibus expediendum. Sanctisſima negotia ſine teſtibus expediri poſſunt, cur non & hoc? Quid magis ordinatio diuina dici poteſt, quam orare, an autem hic teſtes ſemper requiruntur? Deinde ſufficit poſtea coram teſtibus publice ipſum contrahi matrimonium, etiamſi ſponsalia ſine teſtibus fuerint contracta. Ratio erga illa Carpzouii ſi admitti debet, non valebit in ſponsalibus, ſed in matrimonio. Altera Carpzouii ratio pariter in genere non concludit. Non enim omne illud, quod non publice fit, ſtatim publicæ honeſtati eſt contrarium. Ad tertiam quoque respondetur, eam quidem id efficere poſſe, vt princeps iuſte ſponsalia clandeſtina prohibeat, ſed ſi hoc factum non ſit, negotium non ſtatim eſt nullum, etiamſi quandoque incommoda quædam & lites inde nascantur. Nullum eſt negotium humanum, ex quo non interdum nascantur lites & alia incommoda, quis tamen omnia illa propterea inualida diceret? Tollantur incommoda & lites tum quando ſe exſerunt, vbi autem nihil earum adparet, negotium ipsum non ſtatim eſt nullum. Imo ex illa ſententia hoc nascitur incommodum, quod ita permittatur ſæpe contrahentibus fidem datam fallere, contra princi-

Ratio pro nullitate ſponſal. clandeſtinorũ.

Reſpondetur.

pia diuini & humani iuris. Inde Zieglerus *in notis ad Lancell lib. 2. Tit. 14. ad rubricam de clandeſtina deſponſatione* recte ſequentia annotauit: *Dubitare licet, vtrum rubrica hæc nigro reſpondeat. Agitur enim de matrimonio & nuptiis, non de ſponſalibus clandeſtinis, neque prohibitio clandeſtini matrimonii extendi debet ad clandeſtina ſponſalia, præſertim cum cauſam prohibitioni dederit adulteriorum frequentia, quæ in ſponſalibus non ita occurrebat.*

Clandeſtina ſpanſalia non conualeſcunt in Saxonia ex contrahentium confeſſione.

§. XXII. Neque hic prætereundum eſt, quod in Saxonia ſpecialiter conſtitutum ſit, clandeſtina ſcilicet ſponſalia nequidem conualeſcere ex confeſſione contrahentium ſubsecuta, requiritur enim expreſſa ſponsaliorum reiteratio & repetitio promisſionis reciprocæ coram teſtibus facta. *Ordinat Eccleſ. Tit.* von Ehegelöbniß §. Wenn aber & *ordin. matrim. de anno 1624. punct. 1.* §. Wo auch 2. Perſohnen. Quæ conſtitutio pariter videtur conſectarium eſſe doctrinæ, quod matrimonium ſit ſacramentum. Ex mente pontificiorum enim ratio manifeſta eſt, quia ſcilicet non niſi publicis ſponsalibus de præsenti initiatur ſacramentum. Cum enim ſponſalibus clandeſtinis ſacramentum conſtitui non posſit, nec ſola confesſio partium ſubsequens & ratihabitio, etiamſi coram pluribus facta, poteſt effectum ſupplere, niſi de nouo publica contrahantur ſponsalia atque hac ratione ſacramentum demum efficiatur. Cum ad ſacramentum matrimonii pontificiis non ſolus conſensus qualitercunque declaratus ſufficiat, ſed hoc ſolenniter ſecundum præſcriptum ab eccleſia ordinem fieri debeat.

Quod videtur eſſe conſectarium Sacramenti.

Nec alia ratio ſolida dari poteſt.

§. XXIII. Quod ſi illam rationem ſeponas, neque in ficta ſpiritualitate ſponſaliorum publicorum aliquid myſterii quæras, nullum aliud eius rei ſolidum fundamentum inueniri poteſt. Nam omni ſanæ rationi con-

525

contraria eſt illa conſtitutio. Primo enim fundamenti cauſa ſupponimus obligationem ſponſaliorum proprie ex ipſo conſenſu naſci; quod nemo ſane negabit, aut oſtendendum eſt aliud principium obligationis in ſponſalibus, qvod nunquam fieri poterit, niſi ad ſacramentum quis confugere velit. Si dixeris, non omnis conſenſus producit obligationem, ſed ille, qui coram teſtibus declaratus eſt; reſpondeo, hoc fundamentum falſum eſſe, ſi ſeponamus leges humanas, ſpecialiter id exigentes, de quo caſu non egimus. Et ſit etiam, talem conſenſum exigi, de quo & aliis conſtet, & qui coram teſtibus ſit declaratus: Quæritur autem, an non ſatis publicus ſit conſenſus, qui etiam poſt actum celebratum coram aliis publice declaratur? Nemo id facile negabit, quia non amplius pro clandeſtino habetur, quod factum eſſe contrahentes poſtea coram pluribus confitentur. Caſus hic eſto: Titius & Meuia vterque ſui iuris contrahunt ſponſalia ſine teſtibus, poſtea autem cum non amplius neceſſum exiſtiment celare negotium, non modo vt perſonæ deſponſatæ etiam in aliorum conuerſatione viuunt, ſed gratulationes quoque recipiunt & fatentur, ſe ſponſalia inuicem contraxiſſe. Quis quæſo dixerit, quod conſenſum ſuum non ſatis publice declarauerint. Poſtea pœnitentia ducitur Meuia & cupit reſilire a ſponſalibus, ſub prætextu, quod non publice fuerint ſolenniter iterata. Poterunt vtique ſecundum conſtitutionem illam Saxonicam. Sed quæritur de ratione ſolida quam hic inuenire nos non poſſe lubentes fatemur. *Caſus formatur.*

§. XXIV. Equidem Carpzouius *Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. def. 35. n. 5. & l. 5. reſp. 109. n. 17.* putat ſanctionem illam ratione non deſtitui; aſt videamus, quæ ſit illa ratio. *Reſpondetur rationibus Carpzouii.*

Pro-

Pro forma, inquit, *eſſentiali Sponſaliorum publicorum requiritur, vt contrahantur in præſentia teſtium: ergo ad ipſum promisſionis actum teſtes adhiberi neceſſum eſt, quia forma præciſe ſeruanda.* Ad hæc plura regeri poſſent, ſed paucis omnia complectemur. Scilicet non eſt quæſtio de Iure Saxonico, an hoc præcise duos teſtes ad ipsum actum ſponſaliorum publicorum exigat, ſed quæſtio eſt, quo fundamento hoc exigat. Carpzouius ergo dum probare vult, conſtit. Elect. non deſtitui ratione ſolida, non poteſt ex ipso Iure Saxonico deſumere probationem, alias idem per idem probat. Afferre itaque rationem ex principiis vniuerſalibus debuiſſet & demonſtrare, an aliud in ſponſalibus adſit vinculum obligationis quam ex conſenſu; & cur non eundem effectum habeat, an quis conſensum ſuum coram teſtibus in actu præſentibus, an vero eundem coram aliis, qui non præſentes fuerunt, per confesſionem ſubsequentem, declarauerit. Carpzouii argumentum hoc eſt: Ius Saxonicum non ſine ratione exigit, vt repetantur ſolenniter ſponſalia, quia hoc exigit, vt non valeant aliter. Quam vero miſera hæc ſit probatio, quilibet videt.

Sponſal. clandeſt. conualidari concubitu, communis ſententia eſt.

§. XXV. Vtut itaque clandeſtina ſponſalia pro nullis & inualidis habeant Doctores, attamen ſi concubitus ſeu copula carnalis acceſſerit, eam conualidari ſtatuunt. Vbi primo notanda eſt mira Iur. Saxon. Philoſophia, qua nolunt iuſta ratihabitione & confesſione contrahentium conualidari clandeſtina ſponsalia, ſed tamen conualidari concubitu; verum huic non immorabimur, quia hæc ſententia, concubitu ſcilicet conualidari ſponſalia clandeſtina, non tantum Saxonum, ſed communis fere omnium Doctorum eſt. Gerhard. *loc. de coniug.* §. *146.* Cypræus *de Sponſal. c. 10.* §. *10.* Carpzou. *Iurispr. Conſiſt.*

lib. 2.

lib. 2. d. 36. Beuſt. *de Sponſal. c. 14.* aliique. Deſumta autem hæc ſententia eſt ex Iure Canonico, vbi ſatis expreſſe, ſpōſalia clandeſtina carnali copula conualidari, aſſeritur. *c. 30. X. de Sponſal. cap. vnic. §. 1. & 2. de Deſponſat. impub. in 6.* Quod ſi rationem quæramus, vix alia inueniri poteſt, quam quod ita iam contractum ſit Sacramentum. Quid vero dixeris, an Sacramentum copula carnali initur? ita vero eſt, hanc enim impiam ſententiam fouiſſe Pontificios, ſatis patet ex conſtit. Leonis Papæ in *Can. 17. cauſ. 27. qu. 2.* vbi dicitur ita a principio inſtitutam eſſe ſocietatem nuptiarum, *vt. NB. præter commiſtionem ſexuum, non habeant in ſe nuptiæ, coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum.* Add. Conſtitutio Innocentii III. quæ reperitur in *cap. 5. X. de Bigamis non ordinandis.* Vbi idem pluribus confirmatur. Cum itaque principaliter in carnali commixtione conſiſtere Sacramentum, accedente ſcilicet conſenſu matrimoniali, ſtatuerint, hinc orta deciſio, quod ſi ſponſalia clam contracta, etiamſi alias valida non ſint, tamen concubitu conualidentur. Vnde etiam illud *matrimonium* dicebatur *præſumtum;* ſcilicet præſumebatur interceſſiſſe matrimonium, ſaltem ne reſcindatur Sacramentum copula carnali contractum. Et hoc matrimonium præſumtum erat eius efficaciæ, vt nec aliud matrimonium poſtea in facie eccleſiæ contractum ſubſiſtere potuerit, ſed hoc vltimum fuerit reſcindendum *d. c. 30. X. de Sponſal.*

Sed ex ratione Sacramenti.

§. XXVI. Ex tam egregio fonte, ſcilicet! nata eſt illa ſententia, quam Dd. noſtri hodie etiam vno quaſi ore tuentur, conualidari ſponſalia clandeſtina per copulam carnalem. Sed videamus, an forte meliores rationes habeant Dd. Harum autem quinque numero anteſignanus communis Dd. ſcholæ Carpzouius *Iur. pr.*

Rationes communis ſententiæ examinantur.

Conſiſt. l. 2. d. 36. adducit, quas hic ſtatim ſubiecta cenſura ſiſtemus. Eſt autem eius ratio I. hæc: quia ipſum matrimonium per copulam carnalem ſubsecutam contractum cenſetur. Sed reſondetur, hæc dici, non autem probari. Hoc enim probandum eſt, quare per concubitum contrahatur matrimonium, & non per conſenſum etiam clandeſtinum? An ergo concubitus, an conſensus facit matrimonium; Si illud, etiam cum meretrice contrahitur matrimonium; ſi hoc, non dici poteſt, ſponsalia clandeſtina eſſe nulla, & tantum conualidari concubitu. Nam in eo conſiſtit cardo negotii, vnde concubitus illam validitatem habeat? Pergit quidem Carpzouius: *præſumuntur carnali coniunctione ſe commiſcentes, cum ſponſalia præceſſerint, nuptias contrahere potius;* nota præſumtum illud matrimonium, quod fingunt Pontificii, vt ſtabiliant ſacramentum in hoc negotio. Verum illa præſumtio neceſſario debet fundari in conſensu; qui ex tali facto præſumitur. Aſt iam ante concubitum adfuit conſensus expreſſus, ſupponitur enim, ſponsalia præceſſiſſe; cur ergo expreſſus, conſensus in ſponsalibus clandeſtinis inualidus dicitur, cum poſtea conſensus ex concubitu præsumtus validus dicatur? Maior eſt vis expreſſi quam præſumti conſensus. Imo non poteſt præſumi, concumbentem nuptias contrahere voluiſſe, quia contrariam voluntatem hoc ipſo declararunt, dum nuptias in futurum tempus adhuc differunt, neque pro coniugibus ſe iam haberi volunt. Ratio II. Carpzouii hæc eſt: Quod nihil æquius ſit, quam vt pudicitia erepta virgini reſtituatur per matrimoniũ; cum qua conuenit III. vbi ſtupratorem ad inſtar actionis furti teneri ad reſtituendum ablatum aſſerit. Sed primo falſum eſt, pudicitiam furto ablatam, quia conſenſit

ſenſit ſponsa in concubitum, excepto ſolo violento. Deinde poſito, quod pudicitia ablata ſit, quæritur, an poſſit per matrimonium reſtitui? eſt hæc vel qualitas animi vel corporis; ſi illud, non potuit auferri pudicitia inuita femina, ſi hoc, falsum eſt, per matrimonium eam reſtitui, quia per matrimonium nulla femina virginitatem consequitur. Ratio IV. eſt, ne ob ſemel amiſſam pudicitiam palam quæſtum facere incipiat. Verum & hæc nullo fundamento nititur, nam id quidem oſtendit æquum eſſe, vt adigantur partes ad consummandum matrimonium, quod vero ipse concubitus iam faciat matrimonium præsumtum, inde non ſequitur, neque vniuersalis eſt illa ratio, quia alias idem dicendum eſſet, ſi quis feminam ſtuprauerit, licet nulla acceſſerint ſponſalia: aſt hoc casu concedunt Dd. concubitum non facere nuptias, nec inde naſci obligationem ad ineundum matrimonium, ſed ſi ſtuprator ducere ſtupratam nolit, ſufficere, modo eam dotet; iuxta commune dicterium; *aut dotet aut ducat.* Vnde manifeſtum eſt, non ipsum concubitum producere poſſe obligationem, ſed consenſum antecedentem, quia niſi ille anteceſſerit, nihil operatur concubitus, propter quod autem vnumquodque tale eſt, illud magis eſt tale. Addit tandem rationem V. Carpzouius, quia multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ tamen contractum non diſſoluunt, ſed primo erroneum eſt, quod per concubitum contrahatur matrimonium. deinde quando hic in rationis rationem inquirimus, cur non poſſit diſſolui matrimonium contractum, nulla alia inuenitur, quam quia matrimonium eſt ſacramentum. Dixeris, hæc ratio dari poteſt, quia non amplius res integra & omnia in priſtinum ſtatum poſt concubitum reſtitui nequeũt, reſpondeo, atqui

ſi ſtupraueris feminam ſine promiſſione matrimonii, neque ſic res integra eſt, & nemo tamen dicit, adeſſe matrimonium, & ad illud contrahendum obligari partes, adeoque vix illa Doctorum ſententia ex alio fonte, quam ex ratione ſacramenti probari poteſt. Itaque hoc tantum probare voluimus ex ratione ſacramenti reliquum eſſe, quod ſponſalia clandeſtina debeant valida reddi concubitu. Interim concedimus, tales perſonas obligari ad conſummandum matrimonium, aſt non propter vim copulæ carnalis, ſed propter vim prioris promiſſionis in ſponſalibus clandeſtinis factæ, quæ poſtea ipſo actu corporali confirmata. Vt adeo non convalidetur ita actus inualidus & nullus, ſed potius actus per ſe validus & obligatorius ſequenti concubitu plane inſolubilis reddatur.

Sententia noſtra.

Sponſalia inuitis parentibus contracta reſcindenda ex communi ſententia.

§. XXVII. Sponſalia autem clandeſtina non illa tantum ſunt, quæ ſine teſtibus, ſed & quæ ſine parentum conſenſu contracta. Quam ultimam clandeſtinorum ſpeciem recte pro inualidis haberi lubentes confitemur, quia liberi in poteſtate parentum conſtituti ius & facultatem non habent, ſponſalia inuitis parentibus contrahendi. Et hactenus conſentiunt omnes Carpzou. *l. 2. d. 39.* Adeo vt & ſponſalia eiusmodi diſſoluenda eſſe ſtatuant. Idem *def. 40.* Bruckner *deciſ. matrim. c. 2. n. 70. ſeqq.* Neque hic refragatur ius Canonicum, ita enim Euariſtus Papa in *can. 1. cauſ. 30. qu. 5.* conſtituit: *Aliter legitimũ non fit matrimonium, niſi ab his, qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur & à quibus cuſtoditur, vxor petatur & à parentibus & propinquioribus ſponſetur:* & poſt pauca: *ita peracta legitima ſcitote eſſe connubia, aliter vero præſumta non coniugia, ſed adulteria vel contubernia vel ſtu-*

pra

pra aut fornicationes potius, quam legitima coniugia eſſe. Add. *Can. 3. 4. & 5. ibid. Can. 2. cauſ. 25. qu. 6. cap. 3. X. qui matrim. accuſ. poſſunt. Can. 12. cauſ. 32. qu. 2. can. 13. 14. & 15. ibid. can. 8. cauſ. 36. qu. 2.* Equidem his contrarium deciſum reperitur in Concil. Tridentino *Seſſ. 24. c. 1.* vbi & ſine parentum conſenſu matrimonium pro valido declaratur. Sed noſtrates tamen vnanimiter deciſioni concilii Tridentini contradixerunt, cuius rei notiſſimæ teſtimonia adducere non eſt neceſſum. Verum ſi nunc porro quæratur, an etiam reſcindenda ſint talia ſponſalia, ſi liberi clam deſponſati iam concubitum celebrauerint, atque ad hanc vltimam amoris lineam peruenerint, plerique a priori ſententia recedunt, atque hoc caſu ſponſalia amplius diſſolui non poſſe ſtatuunt, ſed conſummationem matrimonii per benedictionem ſacerdotalem contrahentibus iniungendam eſſe, Paul. Cypræus *de ſponſal. c. 10. §. 16.* Gerhard. *l. de coniug. §. 146.* Harprecht. *pr. Inſt. de nupt. n. 122. ſeqq.* Ioachim a Beuſt. *tract. de matrim. c. 47.* Quam autem peruerſa & plane impia ſit illa ſententia, vnusquisque facile intelligere poteſt, ſi modo mediocriter ſana ratione ſit inſtructus. Eſt enim vtique perquam inconueniens, imo abſurdum, prius magno zelo contra pontificios diſputare, & defendere, quod conſenſus parentum non tantum de honeſtate, ſed etiam de neceſſitate ad nuptias liberorum requiratur, & tamen poſtea ſponſalia dicere valida, etiamſi ſine parentum conſenſu contracta, modo concubitus acceſſerit. An non ita liberis ianua aperitur nequitia ſua eludendi conſenſum parentum? qualis quæſo eſt neceſſitas, a qua quis proprio facto ſe liberare poteſt? hoc certe eſt vna manu aliquid concedere, & altera iterum auferre. vid. Dn. Stryk *de diſſ. ſponſal. ſect. 4. c. 1. §. 32.*

Copula tamen carnali accedente ea non reſcindenda eſſe communiter ſtatuunt.

Sed male, idque ex ratione ſacramenti.

vbi & recte laudat edictum Elect. Brandenb. *de anno 1694. d. 15. Decemb.* in quo *Art. 15.* cautum eſt etiam matrimonium, absque parentum conſensu per copulam carnalem & benedictionem ſacerdotalem consummatum, penitus annullandum eſſe. Vnde ergo ortum traxit illa Dd. ſententia, quod præcise copulæ carnali tantam vim tribuant conualidandi negotium per ſe nullum contra rationem? certe ex ſolo principio papiſtico fluit, cuius ſupra §. 25. mentio facta, quod ſcilicet per ipsam commixtionem carnalem contrahatur Sacramentum.

Rationes pro communi ſententia adducuntur.

§. XXVIII. Interim Carpzouius *l. 2. def. 60.* more ſolito communem ſententiam pluribus rationibus defendere & ſtabilire non modo allaborat, ſed & æquam illam dicere non veretur. Sunt vero eius rationes ſequentes: (1) vt maiora euitentur ſcandala, ac (2) ne iniuria maior vitiatæ deſertæque mulieri inferatur, liberique pro illegitimis & ſpuriis proclamentur, hinc (3) obſeruandum eſſe illud Moſaicum *Deut. XXII. v. 19.* habebit eam vxorem. Neque (4) parentes tam præfracte poteſtate ſua abuti debere, vt, cum manifeſta mulieris vitiatæ ſeu deuirginatæ iniuria, ſeparationem, ſibi nil profuturam, quin potius damnoſam, cauſentur: præſertim cum (5) hac occaſione grauioribus delictis aperiatur feneſtra. Addit (6) eſſe tralatitium, quod copula carnalis purget clandeſtinitatem, ratumque faciat coniugium licet per ſe non ſit legitimum, vt hinc (7) etiam iniuſtum matrimonium ſit matrimonium. Quin & (8) alias ſæpe, quæ fieri non debent, ſi facta fuerint, haud reſcindantur. Vnde & (9) multa dici impedire matrimonium contrahendum, quæ iam contractum non diſſoluunt. Quibus rationibus quatuor præiudicia ſubiungit, quamuis prior ſen-

ſententia poſtea iterum ſpeciali Reſcripto confirmata eſſe videatur, cuius verba *ibid n. 20.* adducit.

§. XXIX. Sed accuratius rem perpendenti facile patebit, nullius plane momenti iſtas rationes eſſe. nam ad (1) reſpondeo, nondum conſtare qua ratione maiora ita euitentur ſcandala; ſi dixiſſet Carpzouius *inuitantur* ſcandala per ſententiam communem, recte dixiſſet. Annon enim ſcandalum eſt, liberis licentiam concedere exuendi omnem reuerentiam parentibus debitam? & cum neceſſitatem conſenſus ex IV. Decal. præcepto deriuent Dd. annon ſcandalum eſt ipsa diuina præcepta tam fœde proſtituere? annon ſcandalum, liberos ad fœdam libidinem allicere? quod fit, quando ſciunt, quod ita parentes ad conſentiendum compellantur: annon ſcandalum eſt, grauiſſimo peccato tribuere efficaciam convalidandi actum nullum? annon ſcandalum eſt, ob malitiam liberorum parentes ſuo iure priuare? viciſſim non eſt ſcandalum reſcindere negotium illicitum & vitioſũ? nec ſcandalum eſt impedire matrimonium, quod tam improba habet initia: nec ſcandalum eſt, disiungere, quos non Deus ſed praua libido immo & ipse Diabolus coniunxit. Nunc eat quis & iudicet, qua ſententia maiora euitentur ſcandala, an communi illa, an noſtra. Nec maioris ponderis eſt ratio (2) adducta, mulieri enim nulla infertur iniuria, quando parentes ſuo iure vtuntur. Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, non ſentire videtur. Habet ergo femina, quod ſibi imputet, quod admiſerit concubitum, dum vel ſciuit maſculum parentis poteſtati ſubiectum eſſe, vel tamen ſcire debuit; nam & huc pertinet notiſſima illa Reg. Iuris: qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus eius conditionis, cum quo contrahit *L. 19. pr. ff. de Reg. Iur.* Illa ergo ſua culpa

Et refutantur.

vitia-

vitiata eſt, & proprio vitio, ex quo commodum ſentire non debet. Nec obſtat parcendum tamen liberis exinde natis, quorum nulla culpa eſt, qui ita pro ſpuriis habendi. nam reſpondetur primo, hanc rationem eſſe ſpecialem, & tantum ad eum caſum pertinere, ſi liberi ex tali concubitu nati, Dd. autem ob ſolum concubitum idem ſtatuunt, etiamſi liberi nulli nati ſint. Deinde ſolus liberorum fauor non eſt ſufficiens cauſa ad compellendos parentes, vt ineant matrimonium, alias generaliter ſtatuendum eſſet, omnem imprægnatam ſtupratorem compellere poſſe ad conſummandum matrimonium, licet nulla eius promiſſio præceſſerit, ne liberi fiant ſpurii, quod tamen nemo diſſentientium hactenus ſtatuit. Si dixeris: hic vero præceſſit promiſſio matrimonii, & ſic quæ non iuuant ſingula, iuncta iuuant; regero: ſed illa præcedens promiſſio matrimonii eſt nulla & vitioſa, concubitus etiam eſt illicitus, duæ autem res reprobatæ & impiæ non poſſunt actum iniuſtum reddere validum. Quid (3) Carpzouius ex loco *Deuter. XXII, 19.* probare velit, non apparet. dicitur ibi, habeat eam vxorem, ſed expreſſe agitur de tali, cum qua, patre conſentiente, matrimonium contractum. Hinc potius Carpzouio locus ille contrariatur. Neque (4) abutuntur parentes poteſtate, qui potius iure ſibi competente vtuntur & recte faciunt, ſi malitiam liberorum omni modo coërceant. Dicis, vitiatæ tamen fit iniuria, immo, vt ante demonſtraui, non fit. Inſtas, hanc ſeparationem patri nihil profuturam, quin potius damnoſam eſſe; aſt non video damnum quod inde ſentire poſſit: prodeſt autem liberos omni modo retrahere a tali matrimonio, quod tam deteſtanda habet initia, neque Deo auctore contractum, neque benedictionem diui-

nam

nam expectare poteſt, ſed potius haud raro liberos & temporali & æterna ſalute priuat. Quomodo autem (5) grauioribus delictis ita aperietur feneſtra? dicis: dum femina ſemel vitiata hac ratione allici poteſt, vt pluribus copiam corporis ſui faciat; reſpondeo, a poſſe ad eſſe non valet conſequentia; nemo iure ſuo legitimo vti prohibetur ideo, quia per consequentiam malum aliquod inde prouenire poteſt. Poteſt etiam femina hoc facere durante matrimonio, quod fieri proh dolor! quotidiana experientia docet. Hoc vero adhuc grauius delictum eſſet. Malum ergo hoc ſi ſequatur, non ſeparationi illiciti huius vinculi, ſed vitio personæ adſcribendum. Quod (6) copula carnalis purget vitium clandeſtinitatis, hoc falsum eſt, ceu antea ſatis probatum dedimus, nec vllo fundamento ſolido, ſed erroneo Papiſtico principio illud aſſertum nititur, quamuis ſit tralatitium. Deinde, vtut ſupra §. XXVI. diximus, obligari tales deſponsatos ad consummandum matrimonium, eſt tamen caſus ibi propoſitus longe diuerſus ab hoc quia illa ſponsalia clandeſtina iure naturæ & diuino ſunt per ſe valida, non hæc; inde nec hic eadem deciſio locum inuenire poteſt. Ita & nullius momenti eſt quod iniuſtum matrimonium etiam ſit matrimonium: eſt matrimonium, ſed iniuſtum, inualidum & nullum. Niſi forte dixeris: iniuſtum matrimoniũ etiam eſt matrimonium, quia eſt ſacramentum. Hæc eſt ratio huius aſſerti, non alia. Nec (8) probari poteſt, omnia, quæ fieri prohibita, ſi facta, haud eſſe reſcindenda. Ita enim nec reſcindenda eſſent matrimonia inter liberos & parentes contracta, quod ſtatuere perquam abſurdum erit. Si inſtas, hoc iure diuino expreſſe prohibitum; reſpondeo etiam ſine parentum conſenſu nuptias contrahere iure

diuino prohibitum, ipſi diſſentientes dicunt, Carpzou. *dict. l. 2. def. 39.* ibique allegati ICti & Theologi. Quam quidem controuerſiam, an de iure diuino de neceſſitate conſenſus parentum requiratur, nunc non aſſumo, ſed κατ' ἄνθρωπον diſputo. Quamuis ergo interdum in rebus minimis quod ſemel factum non ſemper reſcindatur, interim tamen, an idem ad hoc negotium maximi momenti applicari poſſit & debeat, merito dubitandum, immo negandum. Eodem lubrico fundamento (9) & illud nititur, quod multa impediant matrimonium contrahendum, quæ contractum non diſſoluant. Deſidero rationem, non dabitur alia ſolida, niſi hanc falsam latitare dicamus, quod matrimonium ſit ſanctum. Sed de hoc agemus cap. ſequ. Præiudicia a Carpzouio allata nos non ſtringunt. Siue igitur in Conſiſt. Dresdenſi noſtra, ſiue communis ſententia recepta & ſtabilita ſpeciali reſcripto ſit, nobis non oberit, qui de iuſtitia diſputamus.

Sponſal. clandeſtinis publica poſteriora præferuntur.

§. XXX. Nec omittenda illa controuerſia eſt, ſi prius ſponsalia clandeſtina, & poſtea publica, contracta fuerint, quænam ſint præferenda? Communis ſententia eſt, publica licet poſteriora, tamen præferenda eſſe. Ioach. a Beuſt. *de Sponſ. cap. 14.* Brochmand. *l. de Coniug. qu. 25.* Carpzou. *l. 2. def. 67.* Quod ſi autem rem accuratius conſideremus, latet quoque hic principium ſacramẽti. Quod enim clandeſtina ſponſalia pro inualidis abſolute habeantur, illud ex falsa ratione ſacramenti deſcendere, iam ſupra demonſtrauimus. Quia natura ſponsaliorum ad validitatem nihil aliud exigit, quam conſensũ, qui etiam in clandeſtinis ſponſalibus, ſi alias contrahentes ſui iuris ſint, adeſt, modus enim non variat rem. Sponſalia autem publica, quia ſunt initiatum ſacramentum,

Ex ratione ſacramenti.

tum, vtique ex principiis I. C. an præferenda ſunt illis, quibus nullum adhuc initur ſacramentum. Cum ergo hæc prærogatiua poſteriorum publicorum nec ex Iure diuino nec ex iure Nat. deriuari poſſit, non poteſt non inter reliquias Papismi numerari.

§. XXXI. Videamus ergo, quibus rationibus Carpzouius priorem ſententiam defendat, quam adeo communem eſſe dicit, vt vix quispiam diſſentiat. Et primo quidem rationes deſumit ex inualiditate Sponſal. clandeſt. ad quas cum ſupra iam §. 20. & 21. reſponſum ſit, nolumus plura hic addere. Deinde prouocat ad ordinat. Saxon. ſed nos hic non de eo, quod in hac vel illa prouincia ſpecialiter conſtitutum agimus, ſed de eo, quod in genere iuſtum eſt, & de fundamento illius ſententiæ communis etiam ſpeciali ſanctione confirmatæ. poteſt enim lege prouinciali aliquid eſſe ſtatutum, quod tamen fluit ex principio illo a nobis reiecto, quod matrimonium ſit ſacramentum. Addit porro, ſponsalia priora tum demum poſterioribus præferri, quando per ſe ſunt obligatoria, quod de clandeſtinis aſſeri nequeat. Verum nos ſupra probauimus, clandeſtina ſponsalia ab iis, qui ſui iuris ſunt, contracta, ſi abſtrahamus a principiis iuris canonici & ſpeciali legis interdictione, eſſe obligatoria, ergo illa tanquam priora ſunt præferenda. Tandem prouocat ad *cap. 2. X. de clandeſt. deſponſat.* ad quod nihil regerimus, dum non negamus iuris canonici principiis id conuenire, quia clandeſtinis ſponſalibus non initiari matrimonium & ſacramentum ſtatuunt canoniſtæ: nos vero vt hoc ex alio ſolido fundamento demonſtretur, deſiderauimus. Equidem obiiciunt alii, ideo poſteriora publica præferenda eſſe, ne peruerſæ hominum poteſtati committatur, cum iniuria ſponsæ

Rationibus communis ſententiæ reſpondetur.

publica ſoluere, ſubſtituta per fraudem muliere, quæ ſe prius clam deſponsatam aſſerat. Sed recte reſpondet Brower *Tract. de iure Connub. l. 1. c. 22. num. 2.* nobiscum ſentiens, ſcilicet, rationem ex malitia hominum vel ex incerto euentu erutam valide non concludere: Immo, pergit, *non minor idque ſæpius, premeret difficultas, ſi prærogatiua publicis concedatur: cum oppido facile ſit, cum contemtu prioris ſponſæ clam deſponſatæ, alteri publica conſtituere ſponſalia.*

Quo caſu admitti poſſit ſententia communis.

§. XXXII. Interim non diffitendum eſt, eo casu ſententiam illam comunem tolerari & defendi poſſe, ſi princeps ſponsalia clandeſtina in totum improbauerit, & pro nullis declarauerit, tum enim vtique præferenda ſunt poſteriora publica, verum non ex ea ratione, quia ſponsalia priora clandeſtina in ſe & ſua natura ſunt inualida, ſed quia legibus prohibita & annullata. Poteſt enim princeps ex iuſta causa etiam negotia ciuium in ſe valida prohibere & irritare: quæ tamen propterea non ſtatim in genere, etiamſi nulla lex prohibitiua adſit, inualida dicenda ſunt. vid. Brow. *cit. n. 2.*

Quid ſi ad priora clandeſtina concubitus acceſſerit.

§. XXXIII. Limitant autem Doctores ſententiam ſuam, niſi ad priora clandeſtina concubitus acceſſerit, tum enim illa poſterioribus etiam publicis præferenda eſſe, Carpz. *d. l. d. 69.* Brochmand. *d. qu. 25.* Gerhard. *loc. de coniug. §. 146*, Hahn. *ad tit. de ſponſal. n. 3.* aliique communiter. Verum quod lubrico admodum fundamento hæc ſententia nitatur & pariter ex ratione ſacramenti deſcendat, iam ſupra §. 25. 26. demonſtrauimus, vbi cum rationibus pro hac etiam ſententia adduci ſolitis fuerit ſatisfactum, non vlterius circa refutandas rationes erimus ſolliciti. Illud tantum addere placet, non poſſe non hanc ſententiam ex propriis etiam diſſentientium principiis incongruam videri. Si enim ſponsalia prio-

priora clandeſtina plane nulla ſunt, & inualida, & ita publicis ſponsalibus etiam poſterioribus poſtponenda, quomodo nullitas illa & vitium clandeſtinitatis ſolo concubitu ſanari poteſt? Hic enim non eſt actus, qui negotium, legibus, etiam humanis tantum, prohibitum conualidare poſſit. Cum nemo ſuo facto efficere posſit, vt leges non valeant. Aut ergo concubitus acceſſit ſponsalibus clandeſtinis, antequam priora publica fuerint contracta, aut poſtea: priori casu obtinet id, quod diximus, ſcilicet in priuatorum arbitrio non eſſe, vt negotio legibus improbato valorem addant; poſteriori casu, multo minus quidquam efficere poteſt concubitus, cum priori ſponsa celebratus, quia tum temporis poſteriori ſponsæ per ſponsalia publica iam ius erat quæſitum, quod tam fœdo ſponſi facto non poteſt auferri. Tam male cohærent principia Doctorum. Quod eo magis inde adhuc eluceſcit, dum Doctores communiter in casu, ſi bina ſponsalia publica contracta, priora præferunt, etiamſi ad poſteriora acceſſerit copula carnalis Carpzou. *l. 2. def. 65.* & plures alii ab eo citati, ſed quæro, cur hic copula carnalis nihil efficiat? Fatetur Carpzouius, rationem in eo conſiſtere, quia poſteriora ſponsalia ſunt nulla, quia ex conſensu non concubitu naſcitur obligatio, nec copula carnalis quicquam ſanctioris efficaciæ ſponsalibus poſterioribus addere aut nouum vinculum nectere poteſt. Subſumo itaque: atqui ſponſalia clandeſtina, ex mente Doctorum, ſunt nulla, quomodo ergo ibi concubitus poteſt producere obligationem, aut nouum vinculum nectere? Videant Doctores, quomodo hæc concilient.

Male cohærent principia Doctorum.

§. XXXIV. Ita ergo voluimus tantum lubrica fundamenta Doctorum, eorumque male cohærentia prin-

Sententia noſtra.

principia demonſtare. Quod vero noſtram ſententiam attinet, manifeſtum eſt, quod cum priora clandeſtina poſterioribus in genere præferamus, § *30. ſeqq.* idem obtinere debeat, licet concubitus acceſſerit; ſed ex plane diuerſis rationibus. vide ſupra §. *26. in fin.* Quodſi vero ſupponamus caſum, quo ſponſalia clandeſtina legibus humanis irrita reddita, tum præualebunt poſteriora, etiamſi ad priora concubitus acceſſerit, ex rationibus præc. §. adductis.

Doctores ſponsalia difficulter diſſoluunt, & potius deſponſatos compellunt ad conſummandum matrimonium. Ex occulta Sacramenti ratione.

§. XXXV. Nunc ad diſſolutionem ſponſaliorum progredimur, vbi conſtat, quam difficulter Dd. & fere non niſi in caſu ſummæ neceſſitatis diſſolutionem concedant, adeo vt potius compellant deſponſatos ad conſummandum matrimonium, idque vel mulcta pecuniaria, vel incarceratione, aliisque modis. vid. Carpz. *l. 2. d. 133. ſeqq.* Quod ſi in rationem inquirimus, quare tam faciles ſint in compellendis deſponſatis, tam difficiles vero in diſſoluendis ſponſalibus, non aliud ſupereſt fundamentum, quam quia ſponſalia habent pro ipſo matrimonio. Ita enim Carpzouius *d. l. 2. d. 65. n. 9.* ſtatuit quoad effectum conſortii ac ſocietatis indiſſolubilis, nullam plane exiſtere differentiam inter ſponſalia & ipſum matrimonium, ſed per ſponſalia hoc iam inchoatum (NB. ſacramentum initiatum) ac proinde non magis ſponſaliorum quam matrimonii diſſolutionem admittendam eſſe. Quanquam is more ſolito ſtatim ſequenti *def. 66. n. 18.* ſibi contradicat, vbi expreſſe ſtatuit ſponſalia facilius quam matrimonium diſſolui. Quod vero illud aſſertum, ſponſalia eſſe matrimonium inchoatum, ex reliquiis ſacramenti ſit, iam ſupra §. 10. probatum eſt, hinc eo lectorem remittimus. Equidem id facile largimur, ſi pars vna conſummare matrimonium detrectet, iudici

Noſtra ſententia.

in-

incumbere, vt bonis perſuaſionibus detrectantem ad aliam mentem reducat. quod ſi vero nec ita adigi ſe patiatur ad conſummandum matrimonium, melius vtique eſt, indicta pœna renitenti ſponsalia diſſoluere, eamque alteri parti adiudicare, quam compulſione externa eum cogere ad conſummationem matrimonii, quod non niſi infeliciſſimum eſſe poteſt; vti recte Cypræus de ſponſal. *c.13. §.11.n.4.* Hinc ſolide Meuius *P.3. dec.382.n.5. in not. Reperi*, inquit, *quod ſæpius rigide nimis & infeliciter ſit exiſtimatum, niſi legibus ſcripta ſit repudii cauſa, cogendam eſſe matrimonii conſummationem, nec veniam eius immo vix moram faciendam eſſe. Miratus etiam magnos Theologos & ICtos tantum rigorem approbaſſe, etſi luctuoſum & ſcandaloſum eius euentum multoties experti ſint. Hoc puto piæ rationi conuenire, quod non ſimpliciter conſiderandum ſit, quid pro matrimonio promiſſum, ſed vt obtineri fini ſuo apta, intra ſuas leges conſiſtere & ſeruari poſſit.* Immo perſonas, quarum connubium ex certis cauſis præuideri poteſt infauſtum & multis miſeriis ſubiectum, ad consummationem nuptiarum cogere iniuſtum eſſe, ſpeciali deciſione pluribusque rationibus probat idem *P.6. dec.226.* Nec obſtat, alias tamen ad pacta ſeruanda vi externa paciſcentes adigi poſſe; reſpondetur enim, diuerſam longe eſſe matrimonii rationem, cum pacta alia tantum temporalia bona concernant, in infelici autem matrimonio ſæpe æterna ſalus periclitetur, inſuper & reipubl. interſit, bene concordantia eſſe matrimonia. Recte Meuius: *Illuc quemquam adigere, repugnat matrimonii fini, qui non tantum eſt in corporum, ſed animorum coniunctione*, vti verba eius ſe habent *d. Dec. 226. n. 8.* Obiectio diluitur.

§. XXXVI. Equidem poterat aliquid probabilitatis ineſſe ſententiæ comuni, ſi vnus tantum ex deſponſatis Nec vtriusque deſponſatorum conſensu.

permittitur repudium.

tis diſſolutionem matrimonii vrgeat; illud vero mirum eſt, Doctores nec diſſolutionem permittere, licet vtraque pars deſponsatorum id deſideret. Carpz. *l.5. reſp.Elect.108. n.22.ſeqq.* Arniſ. *de iur.connub. P.1. c.58.* Chemnitius *P.3. loc. de coniug. c.1.* Weſenbec. *P.3. Conſ.125. n.15.* vbi, eandem ſententiam in omnibus conſiſtoriis obſervari aſſerit; alii communiter.

Rationes communis ſententiæ.

Quod ſi rationes huius communis ſententiæ requiramus, inuenimus ſequentes: (1) quia ſponsaliorum & matrimonii eadem eſt obligatio. (2) quia obligatio ſponsalitia eſt iuris diuini. (3) quia in ſponsalibus adeſt fœdus Dei. (4) quia talis diſſolutio eſſet res mali exempli & ſcandalum excitaret.

Re vera ſubeſt occulta ratio ſacramenti.

§. XXXVII. Quod ſi vero rem accuratius conſideremus, facile pateſcit, re ipſa nullum aliud ſubeſſe fundamentum, quam quod matrimonium ſit ſacramentum, quamuis hoc ipſum verbis non fateantur Doctores. Probauit id iam ſolidiſſime Illuſtr. Dn. Stryk. *tract de diſſ. Sponſal. ſect.3. §.17.ſeqq.* cuius ſententiam tantum illuſtrabimus in præsenti. Scilicet vnicum fundamentum communis ſententiæ in eo poſitum eſt, quod ſponsalia de præsenti publica ſint matrimonium initiatum, quod tamen aſſertum a canoniſtis mutuatum, inde ortum eſſe, quia iure pontificio ſponsalibus iam contrahitur & initiatur ſacramentum, ſupra oſtendimus, §. 10. ſeqq. Hinc ex nullo alio fonte deſcendere, quod Brochmandus, Chemnitius, Carpzouius, aliique ſtatuerint, ſponſalia eſſe matrimonium initiatum, oſtendit laudatus Dn. Stryk *d. l. §. 18.* Et ne vllum ſuperſit dubium, adhæſisſe Doctoribus ſuperſtitioſam ſacramenti rationem, videamus quomodo Carpzouius malam cauſam aperte prodat, quando *cit. reſp. 108. n. 27.28.* aſſerit: *Non concedendum eſt, ſolo niti conſenſu contrahentium ſponſalia, quibus*

NB.

NB. *CHARACTER SPIRITVALIS EST IMPRESSVS*; &: *eſſe matrimonium de cauſis ſpiritualibus*; quod ſimul ex vero fonte ſuo, ſcilicet ex iure pontificio, probat, allegans *cap. 9. X. de hæret.* in quo matrimonium dicitur ſacramentum. Addatur idem *Iurispr. conſiſt. l. 2. d. 21. n. 7.* vbi dicit, matrimonium eſſe tale negotium, NB. *CVI CHARACTER SPIRITVALIS IMPRESSVS.* Iam autem ſcire aueo, quisnam ſit ille character ſpiritualis. Id non ignoro, Pontificios ſtatuere per ſacramentum matrimonii certum characterem indelebilem imprimi, ob quem ſeparari coniuges non poſſunt: vnde etiam, quia excogitarunt ſacramentum ordinis, fingunt certum quendam characterem indelebilem ſacerdotibus impreſſum eſſe. Quis ergo non animaduertit, rationem illam Carpzouii de charactere ſpirituali impreſſo, nil niſi ſacramentum redolere? Sed nolumus actum agere & illa repetere, quæ ante nos Dn. Stryk. *d. l.* iam fuſe ſatis peregit, vbi, collata ſententia pontificiorum, cum illa, quam noſtrates tuentur, ad oculum demonſtrat, eam ex nullo alio principio ortam eſſe, quam ex illo pontificiorum, quod matrimonium ſit ſacramentum, & tandem §. *27. ſeqq.* ad argumenta contraria reſpondet, iisque ex aſſe ſatisfacit: quorſum lectorem breuitatis ſtudio remittimus.

§. XXXVIII. Cohæret cum priori controuerſia etiam hæc, an inter perſonas deſponsatas valeat transactio pro dirimendis ſponſalibus? Quam ſententiam communiter negant. vid. Meu. *P. 5. dec. 210. n. 4.* Carpz. *l. 3. def. 44. a. 11.* Beuſt. *de ſponſal. p. 1. c. 29.* Gail. *l. 2. obſ. 94. n. 14.* Hilliger *ad Donell. l. 24. c. 17. lit. I.* Neque aliter poſſunt Doctores, cum diſſolutionem ſponſaliorum non permittant etiam vtriusque deſponsatorum conſenſu, quæ diſſolutio nihil aliud eſt, quam tacita transactio.

Transactio inter deſponſatos non permittitur.

Quod eſt ex reliquiis ſacramenti.

Equidem rationem hanc reddunt, quia talis transactio eſſet contra matrimonium. ſed ſi vlterius quæramus, quare ſit contra matrimonium, nulla alia ratio reddi poteſt, quam illa, quia ſponsalia de præſenti ſunt matrimonium initiatum. huius autem rationis iterum non aliud fundamentum eſt, quam quod ſponsalibus de præsenti contrahatur ſacramentum, vt ſupra §. 10. oſtendimus. Vt autem adhuc clarius pateat, ex ſola ratione ſacramenti deſcendere illam ſententiam, ſciendum eſt, Doctores eam ex nullo alio iure quam Canonico petiiſſe, vti etiam omnes ad probandam eam prouocant ad *cap. vlt. X. de Transact.* vid. Meuius & Carpzouius *d d. ll.* Sed in *d. cap. vlt.* inter cauſas, quibus iudex pro transactione laborare non poteſt, recenſetur *coniugii ſacramentum*, vt adeo ſatis eo ipso innuatur, ideo non permitti in matrimonialibus transactionem, quia matrimonium eſt ſacramentum, quod irritum reddi non debet. Iam autem quia Pontificii ſtatuunt, ſponsalia de præſenti iam eſſe ipſum matrimonium, & ita ſacramentum, inde ſequitur, inter deſponſatos non locum eſſe transactioni. Quod ergo Pontificii non admittant transactionem ad dirimenda ſponsalia, mirum non eſt, quia ex eorum principiis hoc ſacramentum reſcindi non poteſt: Mirum autem eſt, quare noſtri eandem ſententiam retinuerint, cum tamen ipſum principium pro falso habeamus.

Noſtra ſententia.

§. XXXIX. Nos itaque, reiecto illo falſo fundamento, id quidem concedimus, contra matrimonium iam contractum & consummatum non valere transactionem, valere tamen inter deſponsatos pro diſſolvendis ſponſalibus matrimonio nondum contracto. Et manifeſta quoque eſt disparitas rationis, nam hic res

ab

ab omni parte adhuc integra eſt, non ibi. Inſuper matrimonium ex præcepto diuino eſt indiſſolubile, quod ſecus in ſponsalibus. Nam quod Doctores noſtri aſſerant, ſponsalia eſſe ipsum matrimonium, hoc falsum eſſe, ſupra demonſtratum, cum alius ſit conſensus ſponsalitius, alius conſensus matrimonialis. Sane multo æquius eſt, permittere repudium, vtraque parte id deſiderante, quam inuitos compellere, & ita infelix reddere matrimonium. vid. Dn. Stryk *cit. ſect. 3. § 33.* vbi etiam in conſiſtoriis non adeo raras eſſe transactiones inter deſponsatos diſſentientes, teſtatur.

§. XL. Neque poſſum, quin & illius ſententiæ communis mentionem faciam, qua Dd. in cauſis matrimonialibus non admittunt iuramenti delationem, ſi id tendat contra matrimonium, ſcil. ineundum, nam de inito non eſt dubium. Caſus hic eſt: Meuia agit contra Titium ex causa promiſſi matrimonii, & cum Titius neget promiſſionem matrimonii, illa huic defert iuramentum, quod Titius etiam præſtare paratus eſt; quæritur, an ſit admittendus ad præſtationem? Negant communiter Dd. ex ratione, quia tendit contra matrimonium Carpzou. *Iurispr. Forenſ. part. 1. conſt. 12. def. 30. & conſt. 22, def. 3. & Iurispr. conſiſt. l. 2. def. 233. n. 6. & l. 3. d. 44.* Setſer. *de iuram. l. 4. c. 4. n. 7.* Borchold. *de Iureiur. c. 5. n. 23.* Ioach. a Beuſt. *de ſponſal. part. 1. c. 58.* Quod ſi in rationis rationes inquirimus, illæ ſunt potiores, quia matrimonium eſt indiſſolubile, & ita matrimonium iam contractum, ſcilicet in ſponsalibus de præsenti, diſſolui poſſet, ſi alter iuraret; deinde quia conſensu partium a ſponsalibus recedi nequit, & quia transactio etiam inter deſponsatos non valet &c. quæ omnes rationes cum in primum principium, ſponsalia eſſe matrimonium, & matrimonium

Nec admittunt Dd. iuramentum contra matrimonium.

Ex occulta ratione ſacramenti.

ſacramentum reſoluantur, quis non animaduertit, eſſe quoque hanc ſententiam ex reliquiis principii illius papiſtici? Quæ omnia fuſius demonſtrari poſſent, niſi iam ex ante dictis fluerent, quæ ſi fore alicui non ſufficerent, is conferre poteſt illa, quæ hac de re plenius diſſeruit Dn. Præſes *ſpecial. diſſert. de Delat. iuram. in matrim.* vbi ex profeſſo hanc erroneam Doctorum ſententiam confutauit.

CAP. III.

DE RELIQVIIS SACRAMENTI IN CAVSIS MATRIMONII CONSVMMATI.

§. I.

Connexio.

EXpoſitum in præcedenti capite eſt, quænam in materia ſponsaliorum reperiantur reliquiæ ſacramenti, nunc ordinis causa de ipso matrimonio, per copulam ſacerdotalem conſummato, agendum, videndumque, an & hic quædam obſeruari poſſint reliquiæ ſuperſtitionis pontificiæ. Quæ disquiſitio eo vtilior erit, quo magis neceſſarium, rem omnem iuſto pretio æſtimare, & ab omni nos liberare ſuperſtitione, quæ in his etiam non exigua conſpicitur.

Copula ſacerdotalis eſt inventum pontificiorum.

§. II. Occurrit autem hic ante omnia ſtatim notiſſima illa copula ſacerdotalis, qua perſonæ matrimonium inire cupientes per ſacerdotem ſibi iunguntur & copu-

copulantur, atq; accedente benedictione conſecrantur: quo facto matrimonium demum pro perfecto & conſummato iudicatur. Circa quam copulam eiusque originem, prius quædam in genere dicenda erunt, antequam ad ſpeciales caſus nos conferamus. Iſte vero ritus, vt ſtatim quod res eſt, dicamus, nec ex iure diuino, nec ex iure naturæ originem trahit, ſed merum eſt inuentum pontificiorum. Nam ante Leonis Imperatoris tempora ritum eundem plane non fuiſſe uſitatum, ipſe docet Leo Imp. *Nouella LXXXIX.* vide infra §. XIII. Vt adeo non prius quam dominatu papali iam fundato, & magis magisque caput extollente antichriſto, conſecratio illa nuptialis per modum neceſſitatis fuerit hominibus præcepta.

§. III. Quodſi autem, vt merito in omni negotio fieri oportet, in rationem inquirimus, quare hunc ritum receperint, communiter quidem honeſtatis publicæ causa factum illud eſſe aſſerunt, ſed tecte alia ratio ſubfuit, eaque triplex: primo, vt hoc modo magis magisque fundaretur dominatus papalis, ac ita a clericali conſecratione omnis vis & effectus matrimonii dependeret, atque adeo de ſucceſſione liberorum in regna etiam & principatus pontifex quodam modo disponere poſſet. Altera ratio eſt, vt omnes causæ matrimoniales & quæſtiones de matrimonio valido & efficaci etiam inter reges principesque ad forum eccleſiaſticum pontificis & clericorum traherentur. Tertia denique ratio eſt, quia matrimonium habebatur pro ſacramento, hinc opus erat, vt per ſacerdotem copularentur deſponſati, ceu notiſſimum eſt, omne ſacramentum iure pontificio ſacerdotes adminiſtrare debere, ideo ſacerdotes dicti, quod illi ſacra adminiſtrare & ſacramenta peragere debeant.

Ratio inuenti.

[1] vt ſtabiliatur dominatus papalis.

[2] Vt augeatur iurisdictio Pontificis.

(3) Vt obſervetur ratio ſacramenti.

Nam religio ſacramenti poſtulat, vt magna reuerentia & deliberatione, aſſiſtente miniſtro eccleſiæ, recipiatur, vt loquitur Sanchez *de ſancto matrimonii ſacramento l. 3. diſp. 3. n. 3.* Hinc non valere matrimonium ſine parocho contractum & irritum eſſe, etiamſi in articulo mortis & in quacunque neceſſitate contractum ſit, ex principiis ſuæ religionis idem ſtatuit *d. l. 3. diſp. 17. n. 4.* Immo non omnem parochum matrimonio aſſiſtere poſſe, ex eadem ratione aſſerunt pontificii. vid. Sanchez. *d. l. 3. diſp. 20. n. 10.* Hinc & non omne matrimonium, inter Chriſtianos legitime contractum, eſſe ſacramentum, ſed illud ſolum, quod a miniſtro eccleſiaſtico ſacris & ſolennibus verbis celebratur, ſententia eſt Cani *l. 8. de locis Theol.* Equidem non diffitendum eſt, Pontificios non omnes in eo convenire, quod ſacerdos ſit miniſter huius ſacramenti, alii enim ipſos contrahentes dicunt eſſe miniſtros, vti Thom. Tamburinus *Theol. Mor. l. 8. tract. 5. c. 2.* aliique: certum tamen eſt, priorem ſententiam propriis eorum principiis magis conuenire. Poſito enim, matrimonium eſſe ſacramentum, non poſſunt ipſi contrahentes eſſe miniſtri, vtpote qui ineunt ſacramentum & eius participes fiunt. Hinc quemadmodum alias ſoli ſacerdotes ſunt miniſtri ſacramentorum, ita & huius ſacramenti eſſe debent, ne confundantur perſonæ adminiſtrantes ſacramentum, cum iis, quibus illud adminiſtratur. Vnde etiam ex illa copula ſacerdotali probant Pontificii, matrimonium eſſe ſacramentum, vt *cap. 1. §. 34.* oſtendimus. Addatur Gropperus *in Enchir. Chriſt. Inſtit.* Alphonſus a Vera Cruce *in Appendice* Ioh. de Campis *in Compendio Theologicæ veritatis l. 6. c. 38.* qui omnes benedictionem ſacerdotalem eſſe formam ſacramenti matrimonii aſſerunt. Quamuis hic iterum alii diſſentiant.

§. IV. Vt itaque ad noſtros mores reſpiciamus, merito inter reliquias papatus numerandum, quod apud nos remanſerit illa neceſſitas copulæ ſacerdotalis, neque prima ſimplicitas magis in vsum fuerit reuocata. Equidem fatentur noſtri, abſolutæ neceſſitatis non eſſe copulam ſacerdotalem & matrimonium per ſe validum etiam ſine ea eſſe. Sed dum tamen neceſſitatem quandam hypotheticam hic fingunt, poſtquam ſcilicet ille ritus ſemel moribus introductus, & legibus publicis approbatus, communiter fere eandem efficaciam huic copulæ tribuunt quam pontificii, & quidem maiorem quam ipſius contractus matrimonialis, quod non poteſt non ex illa ſententia, quod per copulam confirmetur ſacramentum, promanaſſe. Immo ſuperſtitioſiores noſtri ſunt ipſis Pontificiis, dum horum ne quidem omnes, ſacerdotes pro miniſtris ſacramenti habent, vt ante dictum, noſtri vero ſoli actui ſacerdotali fere omnem vim tribuant. Sed de hoc exempla dabuntur inferius. Hic prius illam ſententiam Doctorum examinabimus, qua prementes ex aſſe veſtigia Pontificiorum, neceſſitatem huius copulæ in tantum extollunt atque prædicant, vt originem eius etiam a mundo condito ac ita a Deo ipso deriuent, omnemque operam impendunt, vt probent, eam diuinitus inſtitutam & quocunque tempore in eccleſia Dei vſitatam fuiſſe. Quod ipsum annon ſatis documento ſit, nimium ſuperſtitiose adhuc inter noſtrates coli hanc copulam ſacerdotalem, prudentioribus iudicandum relinquimus.

Eſt ergo ex reliquiis papatus, quod noſtri nimium tribuant copulæ ſacerdotali.

Et eam inſtitutionis diuinæ eſſe ſuperſtitioſe aſſerant.

§. V. Sed ſequamur Dd. per ſingula ſecula, atque examinemus argumenta, quibus antiquitatem copulæ ſacerdotalis probare conantur, & deprehendemus facile, contorta eſſe omnia atque nihil concludentia, vnde ſatis

Sententia Dd. de origine cop. ſac. examinatur.

ſatis quanta hic lateat ſuperſtitio pateſçet. Cur enim alias rem hanc tam alte repeterent, eamque antiquiorem fingerent noſtrates, quam ipsa eſt, niſi aliquid myſterii in copula ſacerdotali quærerent? Sed pergamus ad rem, vbi, vt rite intelligatur ſtatus controuerſiæ, illud præmonendum eſt, (1) quæſtionem hic non eſſe de origine benedictionis matrimonii, nam hanc a prima creatione hominis & inſtitutione matrimonii repetendam eſſe facile largimur. nec (2) quæſtio eſt, de origine consuetudinis matrimonium publice & coram facie eccleſiæ contrahendi; ſed quæſtio eſt de copula ſacerdotali, hoc eſt, de ea conſuetudine, qua desponsati præcise per ſacerdotem ſibi inuicem copulandi, & ab eo benedicendi; quo tempore mos ille cœperit? Nam hæc proprie eſt illa ceremonia, quam in papatu, ex ratione ſacramenti, excogitatam, & per modum regulæ omnibus præscriptam eſſe, diximus,

Status Controuerſiæ.

An veſtigia illius copulæ reperiantur in eccleſia Paradiſiaca?

§. VI. Doctores itaque, cum altius ire non poſſint, eius originem ex Paradiſiaca eccleſia repetunt, ibique eius veſtigia reperiri exiſtimant. Deum enim, qui formauit mulierem, & formatam Adamo in conſpectu Angelici chori adduxit, & copulatis benedixit, primum fuiſſe paranymphum, proxenetam & ſacerdotem, aſſerunt; Gerhard. *loc. de Coniug.* §. *44.* Petr. Müllerus *Diſſ. de Hierologia ſeu benedictione ſacerdotali ſect. 1. th. 1. & in addit. ad Struuii Syntagm. Iur. Ciuil. Exerc. 29. l. 23. Tit. 2. (ε) p. 353.* Dn. Samuel Schelguigius *Diſſ. de Antiquitate conſecrationis nuptialis* §. 4 aliique ab his citati. Verum, quæ inde fieri concluſio poſſit ad originem copulæ ſacerdotalis, vix hariolari licet. Erit forte tale argumentum: Deus copulauit Adamum & Euam, primos coniuges, ergo hoc ipso demonſtrauit, ſacerdotes copulare in poſterũ coniuges debe-

debere; ſed quam imbecillis ſit conſequentia, vnusquisque videt. Cur enim Deus ibi præcise vt ſacerdotem ſe geſſiſſe debeat, non apparet? Forte vt vicarius ſacerdotum? egregia profecto ſententia, qua & ſacerdotes ſupra Deum extolluntur; vicarius enim ſemper inferior eſt illo cuius vices gerit. Verum hæc interpretatio inde deſcendit, quod noſtrates pro fundamento habeant, coniuges præcise per ſacerdotem copulandos eſſe, hinc cum vident Deum primos coniuges copulaſſe, dicunt, Deum ſacerdotem egiſſe; quod ſi ergo oſtendatur, illud ſuppoſitum falsum eſſe, vti ex ſequentibus patebit, etiam corruit, quod illi ſuperimpoſitum. Conſtat in veteri fœdere vtplurimum patremfamilias copulaſſe coniuges, iisque benedixiſſe, cur non ergo Deus, qui creauit Adamum & formauit Euam, & ita pater eſt totius generis humani, potius dicendus eſt officium Patrisfamilias hic peregiſſe? Nam quod illud præcise officium ſacerdotale ſit, coniungere deſponsatos, nullo iuris diuini textu, nec vlla ſolida ratione demonſtrari poteſt. Hinc origo copulæ ſacerdotalis ex illa primæua inſtitutione matrimonii & benedictione diuina, nullo modo deduci poteſt.

§. VII. Pergamus ad Eccleſiam Patriarchalem, in qua fatentur Doctores non extare niſi vnicum exemplum *Gen. XXIV. 60.* vbi Laban ſacerdotis vices, vt Paterfamilias, patre mortuo, ſupplens Rubeccæ ſorori, ad Isaacum maritum proficiſcenti, hunc in modum benedixit: *Soror noſtra, tu ſis mille decem millium, & ſemen tuum poſſideat portam odio perſequentium illud.* Dn. Schelguig. *d. Diſſ. §. 5.* Sed (1) an vnico illo exemplo communis Patriarcharum vſus probari poſſit, iudicent cordatiores. Deinde (2) Laban & Bethuel, *d. l. v. 50. 51.* nihil aliud ege- Nec reperiuntur in Eccleſia Patriarchali.

L runt,

runt, quam conſenſum ſuum impertiendo, nullius ibi copulæ mentio fit. Neque (3) benedictio Rebeccæ data ſtatim euincit, quod Laban ibi ſacerdotis vices geſſit. an enim benedicere tantum poſſunt ſacerdotes? An non vnusquisque fidelium ius habet benedicendi alteri? Nulla ergo hic adſunt veſtigia copulæ ſacerdotalis. Quinimmo (3) quia Laban non fuit ſacerdos, hinc potius contrarium in illo textu probatur, benedictionem matrimonialem tum non a ſacerdotibus præcise datam eſſe, atque adeo originem benedictionis ſacerdotalis inde peti non poſſe.

Nec in Eccleſia Moſaica.

§. VIII. Eodem conatu, ſcilicet fruſtraneo, veſtigia copulæ ſacerdotalis in eccleſia Mosaica quærunt. Fateri etiam coguntur, certa veſtigia ſe reperire non poſſe, interim tamen Israëlitas diuini numinis exemplum in conſecrandis nuptiis ſecutos eſſe. idque probant ex *Pſalm. XIX. 6. Cant. III. 9. Pſalm. XLV.* vbi Spiritus Sanctus epithalamium pepigit eccleſiæ ſponsæ Chriſti, vnde putat Menzerus, benedictiones ſolennes ſponſis tum temporis impertitas fuiſſe, idque cumprimis per ſacerdotes, quia benedicere præcipua fuerit pars ſacerdotalis officii. Immo Pſalmum CXXIIX. in nouorum coniugum copulatione a ſacerdote recitatum fuiſſe, coniicit Gerhard. *loc. de Coniug. §. 459.* Inſuper ad benedictionis matrimonialis formulas, quæ *Ruth. IV. 11. Tob. IX. 9.* reperiuntur, prouocant. vid. Schelguig. *d. Diſſ. §. 6.* Verum quam male hæc omnia concludant, facile quilibet intelliget, cui illa penitius ſcrutari placet. Nam ab vsu benedictionis in nuptiis adhibitæ, ad vsum benedictionis ſacerdotalis, nulla procedit argumentatio, ſiquidem pater etiam & ſocer copulandi & benedicendi officium in V. T. peregerunt, vti ex hiſtoria Tobiæ palam eſt. vid Hilde-

debrand. *de Nupt. vet. Chriſtian.* Non ergo ſacerdotes tantum, ſed & alii benedicere poterant. Immo *apud Hebræos veteres* tametſi benedictiones adhiberentur tum ſponſalibus, tum nuptiis, nihilominus ſacerdotem aut Leuitam neceſſario adfuiſſe, nullibi compertum eſſe, docet Seldenus *Vxor. Ebraic. l. 2. c. 28. p. 208.* Ex citatis autem Pſalmis aliisque locis nihil omnino contra nos euincitur, nam benedictionem impertitam eſſe concedimus, ſed hoc ſemper a ſacerdotibus factum eſſe commentitium eſt. Neque obſtat, quod hodie apud Iudæos ſolennis conſpiciatur benedictio ſacerdotalis, de qua re vid. Hildebrand. *d. tr.* nam inde argumentum perfectum, ad mores Iudæorum in veteri teſtamento duci non poteſt, quod etiam Dd. communiter agnoſcunt.

§. IX. Sed pergimus ad Eccleſiam noui Teſtamenti & quidem eam, quæ fuit tempore Chriſti & Apoſtolorum. Hic vero non modo veſtigia benedictionis ſacerdotalis reperiri, ſed eam quoque a Chriſto & Apoſtolis introductam eſſe, ſtatuunt. Videatur Menzerus, Brochmandus, citati a Dn. Schelguig. *d. Diſſ. §. 8.* Quod ſi autem quæramus, quo fundamento illa Doctorum ſententia nitatur, illud admodum lubricum eſt. nam primo argumentum petunt exinde, quod Chriſtus nuptiis Cananæis interfuerit, easque ſingulari benedictione & miraculo ornauerit. *Ioh. II. 2. ſeqq.* Sed quæ, qualis, quanta? An enim Chriſtus ibi loco ſacerdotis copulauit coniuges & iis benedixit? An hoc, ſi facere voluiſſet, Cananæi permiſſuri fuiſſent? Quomodo ergo ab iſto miraculo & coniuncta Chriſti benedictione argumentum duci poterit, ad vſum benedictionis ſacerdotalis, eiusque inſtitutionem? Nec magis quadrat argumentum, quod inde colligunt, quia in nouo teſtamento admodum hono-

Nec in Eccleſia noui teſtamenti tempore Chriſti & Apoſtolorum.

norifica nuptiarum mentio facta: Poteſt enim honorificum eſſe matrimonium, etiamſi non intercedat ſacerdos; aut, an nullum negotium eſt honorificum, quod non præſente & dirigente ſacerdote celebratur? Hinc & concedere cogitur Dn. Schelguig. *d. l. §. 10.* pro Apoſtolica traditione hunc ritum habendum non eſſe; vt adeo multo minus a Chriſto ipso inſtitutus dici poſſit.

Locus Ignatii examinatur.

§. X. Dicunt autem, tempore tamen Apoſtolorum, aut ſtatim poſt illa cœpiſſe hunc morem & hinc ad probandum huius copulæ ſacerdotalis vsum adferri ſolet locus Ignatii, qui *in Epiſt. ad Polycarpum: decet vero,* inquit, *vt, & ducentes vxores, & nubentes, cum Epiſcopi arbitrio, aut ex eius ſententia coniungantur, aut vnionem faciant, vt nuptiæ iuxta præceptum Domini ſint, non autem ad concupiſcentiam.* Verum recte ad hæc respondet Seldenus *Vxor. Ebr. l. 2. c. 28. p. 209.* nondum inter eruditos conuenire, an illa Ignatii epiſtola genuina ſit, aut non, ad minimum multa manu improba inserta fuerunt; nec inde aliud rite elici poterit quam, nuptias ita ineundas, vt iuri diuino, cuius cuſtodes & interpretes Epiſcopi ſeu miniſtri ſacri habiti, non omnino aduerſarentur. Non enim dicit Ignatius, Episcopum copulare coniuges & iis benedicere neceſſario debere, ſed tantum decere dicit, vt

Item Euariſti.

matrimonium ſine eius conſilio non ineatur. Eodem fundamento nititur Euariſti, Episcopi Romani, epiſtola ad Africanos, cuius verba recenſentur in Iure Canonico *Can. 1. Cauſ. XXX. qu. 5.* Nam & illam epiſtolam dubiæ fidei eſſe agnoſcit Hildebrandus *d. l.* cum communi noſtrorum Doctorum ſchola, paucis exceptis, qui eius auctoritatem adhuc ſuperſtitiose defendere conantur. Sicut & ipsa epiſtolæ illius verba, quæ magnæ ſolennitatis immo & paranymphorũ, & dotis mentionem

faci-

faciunt, ſatis oſtendunt, non conuenire talia illi ſtatui eccleſiæ primitiuæ. vid. Seldenus *d. l. 2. c. 28. p. 213.* Cuius farinæ etiam eſt inſtitutum illud, quod Sotero Epiſcopo Romano, qui ſeculo II. vixit, tribuitur, qui non voluit legitimam haberi vxorem, *niſi cui ſacerdos ex inſtituto benedixiſſet*, referente Platina *in vita Soteri.* Vbi addit, ideo hoc conſtituiſſe Soterum, *vt pericula euitaret, quæ tum temporis in nouas nuptias ex præſtigiis cadere ſæpe ſolebant.* Verum & illi non deberi fidem fatetur Hildebrand *cit. l.* addens inter eruditos notorium eſſe, *decretales epiſtolas primorum pontificum, quæ ex æuo martyrum circumferuntur, pleraſque ſuppoſititias, vel hæretica fuligine tinctas aut mendoſas, vel ſequioribus ſeculis eſſe confictas.* Neque locus Clementis Alexandrini *ex l. 3. pædag. c. 11.* quidquam probat, nam dicit quidem presbyterum benedixiſſe mulieri, ſed non addit, vbi & quo tempore hoc factum ſit, & an præciſe tempore copulationis. vid. Seldenus *d. c. 28. p. 210.* Hoc fateor, in primitiua eccleſia Chriſtiana vt plurimum matrimonia toti eccleſiæ prius notificata eſſe, vt illa precibus nouos coniuges Deo commendaret, vbi & ſacerdotes & reliquos ipſis benedixiſſe, non vana coniectura eſt; ſed quod præcise matrimonium in præſentia ſacerdotis contrahi, & ab hoc coniuges copulari debuerint, hoc nunquam probari poteſt. conf. Excell. Dn. Bodinus *diſſ. de anticipato concubitu th. 16.*

Soteri

& Clementis Alexandrini.

§. XI. Tandem veſtigia benedictionis ſacerdotalis in tertio ſeculo inueſtigantes communiter prouocant ad teſtimonium Tertulliani, cuius *lib. 2. ad vxorem circa fin.* verba hæc ſunt: *Vnde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod eccleſia conciliat, & obligatio confirmat & obſignat benedictio, angeli renunciant, pater*

Tertulliani teſtimonia perpenduntur.

pro rato habet. Et *lib. de monogam. cap. II.* dicit, *in eccleſia celebrari conſueuiſſe nuptias, poſtularique ab epiſcopis, presbyteris & diaconis.* Item *lib. de pudicitia cap. 4. penes nos,* inquit, *occultæ quoque coniunctiones, i. e. non prius apud eccleſiam profeſſæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Aſt nulla alia Tertulliani mens eſt, quam clandeſtina matrimonia eſſe euitanda, vti ex vltimo loco patet. Neque in primo loco ſacerdotis, ſed totius eccleſiæ mentionem facit. ſolebant enim noui coniuges precibus totius eccleſiæ Deo commendari, ac ita benedictionem a tota eccleſia accipiebant, inde tamen non ſequitur, ſacerdotem interueniſſe neceſſario, & coniuges copulaſſe: quod nec ex ſecundo loco probari poteſt, quamvis ibi dicatur, poſtulari vxorem ab epiſcopis, presbyteris & diaconis, hoc tamen non alium ſenſum habet, quam hunc, qnod tum temporis ſecundum monitum Ignatii ſupra adducti, matrimonium non ſine conſilio epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum inierint, ne ad rem tanti momenti ſine ſufficienti deliberatione accederent. Quod autem epiſcopi, presbyteri & diaconi copulauerint coniuges, de eo altum ibi eſt ſilentiũ. Inde nihil omnino iſta loca probant pro vſu copulæ ſacerdotalis. vid. Gabriel Albaſpineus *Obſeruat. l. 1. c. 24.* cuius verba refert Seldenus *d. l. p. 211.*

Seculo IV. & ſeqq. quædam reperiuntur veſtigia, creſcente dominatu cleri.

§. XII. Ita ergo ex dictis patet, nec Chriſtum nec apoſtolos illum ritum introduxiſſe, nec eius vſum reperiri poſſe in primitiua eccleſia. Sequentibus temporibus, & quidem ſtatim ſeculo IV. poſt Chriſtum natum, quædam illius copulæ ſacerdotalis reperiri initia, non diffitemur, quo pertinet locus Ambroſii *l. 9. epiſt. 70.* & decretum concilii Carthaginenſis *Canon. 13.* Verum ex quo fundamento ille ritus tum pedetentim introdu-

ctus

541.

ctus fuerit, facile coniici poteſt. Scilicet incipiebat tum temporis iam tum caput extollere dominatus clericalis, cum liberati a perſecutionibus, in magno honore haberi inciperent ſacerdotes, atque dignitates cum magna poteſtate conſequerentur. Vbi valde probabiliter ex illa dominandi cupidine introductum, vt omnibus negotiis magni momenti adhiberentur, & ſic quoque matrimonia non niſi autoritate cleri contraherentur. Vnde in ſequentibus ſeculis benedictionis ſacerdotalis hinc inde mentio fit, quo magis indies poteſtas clericalis augebatur. Hinc natæ ſunt illæ pontificum conſtitutiones, quæ *Can. 2. 4. 5. Cauſ. 30. qu. 5.* reperiuntur: quas & ideo iuri Canonico inſerere iuſſit papa Gregorius XIII. quia egregie cum ficto illo ſacramento matrimonii conſpirant.

Nondum tamen continuo vſu hic ritus receptus.

§. XIII. Interim tamen vtut ita quædam benedictionis ſacerdotalis reperiantur veſtigia ſeculo IV. & ſequentibus, incerta tamen & illa ſunt, nec vſu communi vbiuis eadem recepta fuit, nec per modum imperii & neceſſitatis hominibus fuit obtruſa, quin potius libertati cuiusuis hoc relinquebatur. Hinc tempore Iuſtiniani non requirebatnr ad validitatem pro forma matrimonii interuentus miniſtri ſacri, ſed ſufficiebat conſenſus *L. 26. C. de nupt.* & vt dotalia inſtrumenta conficerentur, probationis ſcilicet cauſa. Quamuis enim obiici ſoleat *Nouell. 74. c. 4.* vbi dicitur, accedere debere coniuges ad quandam orationis domum, & rem comunicare ſanctiſſimæ illius eccleſiæ defenſori, qui tres aut quatuor clericorum adhibens atteſtationem conficere debebat; facile tamen patet, inde nullum argumentum duci poſſe, quia (1) defenſor nihil aliud eſt, quam patronus & aduocatus eccleſiæ, non miniſter ſacer; nec (2) clerici adhibiti iubentur copulare coniuges & benedictionem

Nec Iuſtiniani tempore.

onem impertire; nec aliud (3) quam ſola atteſtatio ibi petebatur; quin quod (4) Iuſtinianus digniores perſonas ibi expreſſe excipiat, immo & (5) eo caſu, ſi dotalia inſtrumenta fuerint compoſita, hanc ſolennitatem remittat, verbis: *hæc autem dicimus, vbi non dotis aut antenuptialis donationis fit documentum.* Vt adeo manifeſte ſatis conſtet, tum temporis neceſſarium nondum fuiſſe habitum, vt coniuges per ſacerdotem copulentur. vide pluribus Seldenum *d. tr. l. 2. c. 29. p. 219. ſeqq.* Scilicet Leo Imperator ſeculo IX. primus ſolennem conſtitutionem edidit ſub rubrica: *Ne matrimonia citra iam receptam benedictionem confirmentur.* vid. Nouell. Leonis LXXXIX. vbi primum teſtatur, ante ſua tempora permiſiſſe vetuſtatem *matrimonia citra iam receptam benedictionem iniri;* deinceps autem iubet, *ſacræ benedictionis teſtimonio matrimonia confirmari, adeo, vt ſi qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa conſuetudine matrimonii iure potiri velit.* Eodem fere tempore etiam in occidente demum vſum copulæ ſacerdotalis publicis legibus introductum eſſe, dum circa annum Chriſti 820. verba epiſtolæ Euariſti, ſupra adducta, in capitula Caroli & Ludouici Imperatorum, quæ vim legis obtinebant, relata fuerint, vt tradidit Seldenus *d. cap. 29. p. 221. ſeq.*

Sed demum ſeculo IX. lege publica introductus.

§. XIV. Vt ergo noſtram nunc exponamus ſententiam, ſciendum eſt, nos non contemnere ritum illum copulæ & benedictionis ſacerdotalis, qui potius multum facit ad bonum ordinem, & ne clandeſtinis matrimoniis turbetur ſalus reipublicæ. Illud tantum improbamus, quod, vti aliis ritibus eccleſiaſticis, ita huic etiam nimium tribuant noſtrates, ac illi ſuperſtitioſe adhæreant, eundem in tantum extollendo, ac ſi a Deo in Paradiſo inſtitutus, a Chriſto & Apoſtolis confirmatus, &

Noſtra ſententia de copula ſacerdotali.

& a tota eccleſia omni æuo approbatus eſſet. Quo ipſo, quid aliud efficitur, quam vt imprudens vulgus, immo & eruditi, vt ex ſequentibus patebit, magnum in iſta copula myſterium, ac tantum non ſacramentum quærant, & non pauci ſine iſta copula nullum matrimonium eſſe, aut nullum tamen felicem euentum ſortiri poſſe ſibi perſuadeant. Interim non dicimus, hunc ritum tollendum eſſe, ſed hoc tantum, eſſe eum liberandum a ſuperſtitione neque pro inſtituto diuino venditandum, cum tamen inuentum mere humanum ſit. Vt hac ratione nulli externæ ſolennitati maior tribuatur effectus, quam illi re vera debetur, & ita omnes res iuſto habeantur pretio.

§. XV. Sed illa ne gratis dixiſſe videamur, nunc ad ſpecialia progrediemur, demonſtraturi, in quibusdam caſibus multum adhuc ſuperſtitionis reperiri & non parum ſupereſſe ex reliquiis fictitii illus ſacramenti. Vti autem ex ſuperioribus patet, ex ratione ſacramenti eſſe, quod præciſe copulari coniuges per ſacerdotem debeant: Ita ex eodem fonte deſcendit, quod copulatio in eccleſia fieri iubeatur. Vbi primo non hærebo circa vocem, dum per eccleſiam templum intelligunt. quam enim impropria hæc ſit ſignificatio, & quam varios errores gignere poſſit & ſoleat, facile vnusquisque ipſe intelligere poteſt, cui rem accuratius examinare placuerit. Quodſi ergo quæratur, cur præciſe in templo fieri debeat hæc copula, non commodior ratio reddi poteſt, quam quæ fluit ex ratione ſacramenti; cum enim ſacramenta ordinarie in templo adminiſtrentur, & matrimonium habeatur pro ſacramento, illudque ſacramentum per copulam ſacerdotalem contrahatur, haud dubie actus ille non alibi, quam in templo per-

In ſpecie ex reliquiis ſacramenti eſt, quod copulatio fieri debeat in eccleſia.

agendus: vti etiam ex hac ratione illud deducit Bellarminus *de matrim. ſacram. c. 33.* Sequuntur ergo noſtri pontificios, dum pariter exigunt, vt extra caſum neceſſitatis copula in templo expediatur. Gerhard. *loc. de coniug.* §. *463.* aliique communiter.

Rationes contrariæ ſententiæ adferuntur.

§. XVI. Equidem Carpzouius *Iurisp. conſiſt. l. 2. def. 143. n. 3.* expreſſe proteſtatur, hoc non ideo fieri, quod matrimonium ſit ſacramentum, & propterea tractandum in eccleſia, ſed (1) quia illa copulatio eſt ritus eccleſiaſticus & noui ſponſi coram facie totius eccleſiæ ſunt copulandi, ipſumque coniugium piis & publicis precibus Deo commendandum, ad tales autem actus templa ſint deſtinata; insuper (2) matrimonium clandeſtinum præſumtionem fraudis inducere; omnia (3) decenter & ordine fieri debere in eccleſia; contra vero ſuſpecta omnia illa ſacra eſſe, quæ occulte fiunt; cui (4) adiungit ſpecialem ſanctionem Saxonicam, & tandem (5) concludit, ſub copulatione in ædibus priuatis ſæpiſſime latere aliquam ſuperbiam vel dolum, ne exceſſus in veſtimentis vel pompa nuptiali publice manifeſtetur.

Ad eas reſpondetur.

§. XVII. Verum, ſi rationes has accuratius examinamus, nihil omnino habent, quod vllam neceſſitatem demonſtret copulationis in eccleſia faciendæ. Nam ad (1) reſpondetur, nihil obſtare, quo minus ritus eccleſiaſticus etiam in priuatis ædibus expediri poſſit. vbi quæſo in ſacris litteris vnquam præceptum, vt omnia negotia ſacra & eccleſiaſtica in templis peragantur? ex papatu etiam hoc eſt. cum enim apud illos templa pro rebus ſacris propter conſecrationem ab episcopo factam habeantur, hinc exiſtimarunt, negotia ipsa firmiora & ſanctiora reddi, quæ in templis fiunt, ac adeo in loco non conſecrato ea non celebranda eſſe. Huius reliquiæ niſi apud

nos

nos ſupereſſent, non tantam inter templa & alia loca priuata faceremus diſtinctionem. Deinde an omnia, quæ in templo fiunt, ſtatim etiam fiunt in facie totius eccleſiæ? Sane copulationes hodie fere ſemper fiunt eo tempore, quo ſacra publica non habentur, & quo cœtus non præsens, ſed templum vacuum eſt: an ergo quod tum fit in templo, poteſt dici, fieri in facie totius eccleſiæ? aut an forte templum totam eccleſiam repræsentat? nemo opinor tam amens erit, vt hoc ſtatuat. Vt nouum coniugium Deo precibus commendetur, pium iuſtumque eſt: ſed an hic ſcopus obtineatur per copulam in eccleſia factam, merito dubitamus, immo conſtanter negamus. Illi, qui concurrunt ex plebe ad ſpectandam illam copulam, non orandi causa veniunt, ſed vt videant, quomodo ſe gerant noui coniuges, quomodo ſint veſtiti, vt ita habeant, quod ſub censuram reuocare poſſint. Poſſunt coniuges Deo precibus publicis commendari tum cum proclamationes solennes fiunt, imo poteſt id quoque fieri tempore copulationis in ædibus priuatis ab iis, qui tum præsentes ſunt, qui pariter eccleſiam faciunt. Nulla ergo hic adeſt neceſſitas, quin potius multis ita incommodis obuiam itur. Ad (2) facilis etiam eſt responſio. nam aliud eſt matrimonium clandeſtinum, aliud matrimonium in ædibus priuatis contractum, & hoc publicum eſt, quia pariter ſolenni copula in præsentia teſtium palam contrahitur. locus per ſe actum non facit publicum vel clandeſtinum. Nec (3) minus decenter fieri poſſunt illa, quæ in priuatis ædibus, quam quæ in templo fiunt, vt adeo nec hæc ratio quidquam faciat, cum non omnia illa occulte fiant, quæ fiunt in priuatis ædibus. Nec (4) conſtit. Sax. nobis refragatur. nos enim non quid in Saxonia fieri debeat, ſed quid in genere iu-

 ſtum

ſtum ſit, & vnde tales conſtitutiones deſcendant, disquirimus. Quod vero (5) vltimam rationem concernit, illa pariter nos non ſtringit, nam vitia perſonæ, rei accedentia, non poſſunt ipsam rem illicitam reddere: nec apparet in iis nuptiis, quæ in templo contrahuntur, abeſſe exceſſum in veſtimentis, ac pompam nuptialem: neque opus habent coniuges, vt faſtum diſſimulent, quia publice permiſſus eſt, & pro re licita habetur, eumque plerique ſacerdotes ipſi ſua præſentia approbant. Ita ergo nulla ratio præter illam, quæ ex ſacramento deſcendit, ſupereſt, qua probari poſſit, copulationem præciſe in templo eſſe faciendam. Addo & hoc, inconueniens eſſe, quod tanta hac in parte obſeruetur inæqualitas, dum diuitibus dignioribusque ſemper permittitur copulatio in ædibus priuatis, ſed reliqui inferioris conditionis homines præciſe in eccleſia copulari debent. Ne dicam, talia ſæpe lucri cauſa conſtitui, vt poſtea oblata certæ pecuniæ ſumma diſpenſatio petatur.

Item quod matrimonium indiſtincte ſanctum vocatur, der heilige Eheſtand.

§. XVIII. Non prætereundum illud etiam h. l. eſt, quid ſentiendum ſit de iſta Doctorum ſententia, qua matrimonium indiſtincte ſanctum dicitur ſeu ſacrũ, der heilige Eheſtand: Vnde & de omnibus copulatis dicitur: daß ſie in den heil. Eheſtand getreten. Hanc communem apud nos loquelam eſſe, quis eſt, qui ignoret? Ita verba habent fere omnium litterrarum nuptialium: ita etiam loquuntur omnes ſacerdotes, tam in proclamationibus publicis, quam in ipſo actu copulationis. Quot vero inde mala producantur, quot ſcandala naſcantur, ſanioribus iudicandum relinquo. Certe non poſſunt non homines in eam induci ſententiam, quocunque modo & ex quacunque praua libidine matrimonium contrahant, ſufficere, modo benedictionem ſacerdota-

lem

lem accipiant; ita enim ipſos ſanctum contrahere matrimonium. Hinc quid a ſua parte exigatur, vt benedictionis diuinæ participes reddi poſſint, plane negligunt. Omnes prauæ libidines teguntur ſub hoc titulo ſancti matrimonii. Negotium conuiuiis, compotationibus, ſaltationibus, & amoribus illicitis initur, & hæc omnia licent, quia ſanctum eſt matrimonium. Quod ſi in fundamentum huius ſententiæ inquiramus, non dubito, eam ex reliquiis ſacramenti eſſe. Dum enim reliqua ſacramenta baptismi & euchariſtiæ ſacra vocantur, & matrimonium eadem appellatione inſignitur, an non valde probabilis coniectura eſt, eandem hic etiam adeſſe denominationis rationem? Certe apud pontificios nullum dubium eſt, eos ideo matrimonium ſacrum vel ſanctum dicere, quia eſt ſacramentum. Eandem locutionem nos reiecto licet illo principio retinuimus, immo non locutionem tantum, ſed & ſententiam ipſam, cum profiteamur, ſpirituale eſſe matrimonium, & ita ſacrum ac a Deo a negotiis humanis mere ciuilibus plane diſtinctum.

Ex ratione ſacramenti.

§. XIX. Sed vt hoc clarius fiat, videndum, qua in re differre debeat negotium ſacrum a profano ſeu ciuili. hac enim diſtinctione neglecta nunquam certi ſumus, ad quam claſſem hoc vel illud referendum ſit. Iam autem negotium profanum ſeu ciuile, vti facile omnes conſentient, eſt, quod fit ciuilis ſocietatis & vel proprii vel communis commodi cauſa, mediisque mere externis & in poteſtate hominum exiſtentibus; ita ergo negotia ſacra erunt, quæ fiunt propter æternam ſalutem, mediis ſpiritualibus & ſingularem gratiam annexam habent. Hac itaque conſiderandi ratione, an non matrimonium per ſe eſt negotium mere profanum & ciuile?

Probatur, matrimonium in ſe non eſſe ſacrum vel ſanctum.

uile? aut ſi ſacrum appellare id malis, oportet vt concedas, finem matrimonii eſſe æternam ſalutem, & media ſpiritualia habere illud ſingularem promiſſionem gratiæ. quo ipso, an non tacite iterum aſſeratur, matrimonium eſſe ſacramentum, iudicet, qui a præconceptis opinionibus liber eſt. Probari autem ſic debet, quomodo matrimonium per ſe faciat ad ſalutem æternam, in quonam ſpiritualitas eius conſiſtat, & vbi Deus matrimonio maiorem gratiam promiſerit, quam aliis negotiis iuſtis & legi morali conuenientibus: nam ſi non maiorem gratiam promiſſam habeat, non poteſt magis ſacrum matrimonium dici quam cetera negotia legi morali conformia.

Obiectio I. quod Deus matrimonium inſtituerit, & ipſi benedixerit. Reſpondetur.

§. XX. Equidem videtur fundata eſſe ſententia communis in eo, quod Deus auctor ſit matrimonii, illudque inſtituerit in Paradiſo, ac illi benedictionem ſuam addiderit. *Gen. I. 27, 28.* Ad hæc autem varie reſpondendum eſt, nam (1) ipſa inſtitutio diuina facit quidem, vt quis iuſte matrimonium contrahere poſſit, & in eo ſancte viuere, ſed propterea non ipſum matrimonium ſanctum dici poteſt; nec (2) benedictio diuina rem per ſe ſacram vel ſanctam facit. benedictionem ſuam liberis etiam in decalogo promiſit, ſi parentes honorauerint, propterea tamen obſequium liberorum per ſe non eſt res ſancta & ſpiritualis. addidit etiam benedictionem Deus toti decalogo, interim non omnia negotia decalogo conformia per ſe dici poſſunt ſancta. alias, præſtare quod alteri debeo, & pacta atque contractus ſeruare, etiam erit res ſancta. Sed & (3) concedi poteſt, eatenus eſſe ſanctum matrimonium, quatenus a Deo in ſtatu innocentiæ inſtitutum & ſecundum voluntatem diuinam contrahitur & continuatur: (vti & eatenus a-

ctiones noſtræ morales ſanctæ dici poſſunt, quatenus illæ voluntati diuinæ ſunt conformes, & ex vero principio, ſcilicet amore Dei proueniunt) ſed propterea non omne matrimonium a quocunque contractum, & quacunque intentione ſanctum dici poteſt; quia non omnes illud ſecundum voluntatem Dei contrahunt, & in eodem ſe gerunt. Iam autem poſt lapsum haud dubie ſtatus rei eſt mutatus. cum ergo in ſtatu innocentiæ inſtituerit matrimonium Deus, & illi benedixerit, oportet, vt, qui benedictionis capax fieri vult, curet ſe reſtitui prius in priſtinum ſtatum; imaginemque diuinam amiſſam ſibi reſtaurari per Chriſtum, tum enim demum matrimonium ſecundum inſtitutionem dininam contrahet. Cum ergo longe aliter comparata ſint pleraque matrimonia, quæ ab iis, qui Chriſtiani vocantur, contrahuntur, quorum plerique tantum inſtinctu prauorum affectuum contrahunt matrimonia, quomodo de omnibus, ſi modo a ſacerdote fuerint copulati, dici poteſt, daß ſie in den Heiligen Eheſtand getreten? Accedit (4) quod Deus, dum matrimonium inſtituit, inter primos parentes, ſimul toti generi humano in Adamo & Eua idem ius conceſſerit. ſi ergo propter inſtitutionem diuinã matrimonium ſanctũ dicendum, quocunque modo homines ſint copulati, etiam matrimonia gentilium & Iudæorum erunt ſancta. Nos tamen tantum matrimonia Chriſtianorum ſancta dicimus, quaſi in nouo teſtamento aliquid ſanctitatis acceſſiſſet matrimonio, ſiue, vt Pontificii loquuntur, quaſi in N. T. matrimonium factum eſſet ſacramentum.

§. XXI. Solet autem vlterius pro defendenda matrimonii ſanctitate afferri locus *Matth. XIX. 6.* vbi Chriſtus dicit: *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, vnde cum in genere Chriſtus de coniugatis loquatur, probari poſſe

Obiectio 2. quod Deus dicatur coniungere coniuges,

ſe putaut, quod Deus coniungat coniuges, hinc vtique matrimonium pro re ſacra & ſancta habendum eſſe: Quo & pertinet vulgatum illud: Die Ehen werden im Himmel gemacht. Verum facile patet, hoc non ita crude, vt vulgo creditur, accipiendum eſſe, quis enim ſanæ mentis dicere poterit, omnes coniuges Deum coniunxiſſe. Quantus non eſt eorum numerus, quos non Deus, ſed diabolus & prauæ libidines coniunxerunt? Hic ergo, ſi opus diaboli Deo adſcribamus, quæ maior eſſe blaſphemia poteſt? vnde etiam Ambroſius *lib. 7. in Lucam c. 16.* ſtatuit, non dici a Chriſto, Deum omnes coniungere, ſed quoſdam, quos Deus coniunxerit, eos hominem ſeparare non debere. Equidem concurrit etiam circa eiusmodi matrimonia ſine Deo contracta prouidentia diuina, permittendo illa, ſed non concurrit Deus actiue coniungendo iſtiusmodi coniuges. Hinc eatenus valet illud prouerbium, omnia matrimonia in cælis confici, ſeu potius concludi, ſcilicet vt Deus vel cooperetur in matrimoniis piorum, vel permittat in pœnam matrimonia impiorum. Quid ergo dicemus ad illum textum? hoc vero, quod plane eum ſenſum non habeat, qnem ipſi communiter affingunt: agitur enim ibi de vinculo, quod eſt inter coniuges, quod arctiſſimum eſſe dicit Chriſtus ex voluntate Dei, hinc addit, *quod igitur Deus coniungit*, hoc eſt, quod ille firmiſſimum & indiſſolubile eſſe voluit, *homo non ſeparet*. Hinc non dicitur, *quos Deus coniunxit*, vt ita ad perſonas applicari poſſit, ſed, *quod Deus coniunxit*, vt ita innuatur, de ipſo negotio ibi agi, quod illud Deus coniunxerit, hoc eſt indiſſolubile reddiderit, non autem de perſonis. Nam omne matrimonium vi inſtitutionis diuinæ eſt indiſſolubile, ſed non de omnibus perſonis id ineuntibus dici poteſt,

Reſpondetur.

Vera explicatio loci Matth. XIX. 6.

eſt,

eſt, Deum eos coniunxiſſe. Eundem verborum ſenſum eſſe debere etiam obſeruauit Hugo Grotius *add. loc.* vbi ad verba: *quod igitur DEus coniunxit*, hæc commentatus eſt: *Errant, qui hoc ad cauſas & occaſiones coniugiorum contrahendorum referunt. Non enim de iſtis agitur; ſed de ipſa matrimonii natura, cui Deus auctor ineſſe voluit ius amicitiæ arctisſimum.* Equidem diſſentit a Grotio Calouius *in Bibl. Grot. ibid.* his verbis: *Non ſunt hæc oppoſita, ſed ſubordinata. Coniungit Deus ceu cauſa efficiens, quia non ſine diuina prouidentia fiunt connubia, ideo dicuntur fatalia.* Sed hæc tanti non ſunt, vt a vera ſententia, quam Grotius defendit, recedamus. Nam ſupra dictum eſt, nos concedere, quod nulla connubia fiant ſine prouidentia diuina, (quemadmodum nihil in rerum natura fit ſine Dei voluntate & prouidentia) ſed exinde non ſequitur, ergo Deus coniungit omnes coniuges tanquam cauſa efficiens. Non ſine prouidentia Dei factum, quod traditæ fuerint gentes in immunditiem *Rom. I, 24.* nec ſine prouidentia Dei Iobus tantis cruciatibus affectus eſt; quis vero vnquam dixerit, Deum hic tanquam cauſam efficientem concurriſſe. Permittit itaque Deus etiam matrimonia impiorum, ſed eos non coniungit, efficiendo, vt matrimonium contrahant. Cum ergo hic locus nihil aliud probet, quam quod matrimonium indiſſolubile, non autem quod ſanctum ſit, hinc obiectio ſua ſponte corruit.

Notatur Carpzouius afferens, Deum coniungere per ſacerdotes.

§. XXII. Notandus itaque hic eſt inſignis iterum error Carpzouii, qui *in Iurispr. Conſ. l. 2. def. 142. n. 12.* verba illa, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet, ita explicat: *Cum vero hodie immediata huiusmodi coniunctio diuina deficiat, intermedia ſaltim ſacerdotum opera, vt fiat,*

neceſſe eſt. Quo non prolabuntur Dd. ex nimia ſuperſtitione erga copulam ſacerdotalem? Equidem iſta aſſertio iam corruit ex iis, quæ præcedente §. dicta ſunt. Sed quæro hic inſuper, an *D*eus Patriarchas, qui in matrimonio vixerunt, non coniunxerit? atqui nec immediate hoc Deus fecit, nec per ſacerdotem: oportet ergo, vt in vero matrimonio non vixerint. Quot homines ſunt peſſimi, qui matrimonium ex mera libidine contrahunt mediis etiam illicitis ſe inuicem allicientes, qui tamen ſine contradictione a ſacerdotibus copulantur? ergone & hos *D*eus coniunxit? abſit, vt hoc ſtatuamus. Cur ergo tanta vis ſoli copulæ ſacerdotali tribuitur? forte ſi verum fateri debemus, quia creditur eo tempore celebrari ſacramentum? Sed & Hauemannus cenſuram meretur, dum in *Gamol. lib. 2. tit. 11. poſ. 2. n. 2. pag. 356.* eandem cum Carpzou. fouens ſententiam pro eius probatione prouocat ad loca *Coloſſ. III. 16. 1. Tim. IV. 5.* in quo vltimo textu hæc habentur verba: *Sanctificantur enim per ſermonem Dei & per precationem,* vt adeo eius mens hæc fuiſſe colligatur, ſanctificari matrimonium per copulam ſacerdotalem. Sed vero quis non contortam explicationem h. l. animaduertit? itane ſermo ſacerdotis: Die Trauungs-Rede eſt ſermo *D*ei? ego quidem non dubito, verbum Dei, ſi rite prædicetur, & precationem deuotam, etiam in actu copulationis, ſæpe non eſſe ſine efficacia. Sed hoc in genere aſſerere de omni benedictione ſacerdotali, quod per eam, modo verbum Dei prædicetur, & preces addantur, omne matrimonium a quibuſcunque perſonis contractum ſanctificetur, id vero rationi & experientiæ aduerſum, immo ſuperſtitioſum eſt, cui non aliam adſcribere originem poſſumus quam illam, quod eo tempore conſummetur & plene

Item Hauemannus putans ſanctificari matrimonium per ſacerdotem.

per-

perficiatur ſacramentum. Hoc vero obiter quaſi annotaſſe non ægre ferat B. L. Nunc redeundum in viam.

§. XXIII. Vt ergo in compendio exhibeamus noſtram ſententiam, ita ſtatuimus: matrimonium in ſe conſideratum eſt ſtatus aliquis iuſtus, honeſtus, bonus, ſed pro re ſacra & ſancta non magis habendum quam reliqua hominum negotia ciuilia: poteſt vero matrimonium, ſi ſecundum voluntatem diuinam contractum, & ceteroquin coniuges, vt fideles & Chriſtianos decet, ſe gerant, ipſique prius a vitiis ſe purgauerint, ac vera viuaque fide ſanctificati fuerint, reſpectu eorum fieri & dici ſanctum. Hinc & matrimonia vere fidelium hoc reſpectu ſancta dici poſſunt, non autem omnia matrimonia quocunque modo etiam ab infidelibus contracta, modo copula ſacerdotalis acceſſerit. Quid enim ſanctitatis impiorum conſortio ineſſe poteſt? quæſo, quomodo hi poſſunt eſſe figura vnionis Chriſti cum eccleſia? Igitur propter perſonas ſanctificatur matrimonium, non propter matrimonium perſonæ, id quod Apoſtolus innuit *1. Cor. VII. 14.* vti dicit, infidelem coniugem ſanctificari per fidelem: ergo non per matrimonium.

Noſtra mens de ſancto matrimonio declaratur.

§. XXIV. Equidem poſſent ex patribus primitiuæ Eccleſiæ forte quædam nobis obiici teſtimonia, dum illorum nonnulli excellentiam matrimonii multis verbis prædicarunt, & ita inter res ſacras & ſanctas numerarunt. Sed ſi recte perpendamus ea, quæ Patres hac de re habent, facile perſpicitur, eos de matrimonio Chriſtianorum, h. e. vere fidelium & ſanctorum loqui, atque iſtius matrimonii prærogatiuas extollere. Ita Clemens Alexandrinus, quando *lib. 3. Strom. p. m. 445.* contra con-

Conſenſus Patrum Eccleſiæ oſtenditur.

temtores matrimonii diſputat, qui ſceleratum eſſe coitum dicebant, ita diſſerit: *Eorum autem, qui ſunt ſanctificati, ſanctum quoque vt puto ſemen eſt. Ac nobis quidem eſſe debet ſanctificatus non ſolum ſpiritus, ſed & mores, & vita & corpus. Nam quanam ratione dicit Paulus Apoſtolus eſſe ſanctificatam mulierem a viro, aut virum a muliere?* Et Tertullianus *Lib. 2. ad vx. in fin.* Verum matrimonium fidelium, quod ſanctum eſt, ita deſcribit: *Ambo fratres, ambo conſerui, nulla ſpiritus carnisue diſcretio atqui vere duo in carne vna. Vbi caro vna vnus eſt ſpiritus, ſimul volutantur & ſimul ieiunia transeunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro ſuſtinentes. In eccleſia Dei pariter vtrique, pariter in conuiuio Dei, pariter in anguſtiis, in perſecutionibus, in refrigeriis. Neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis eſt. Libere æger viſitatur, indigens ſuſtentatur, eleemoſynæ ſine tormento, ſacrificia ſine ſcrupulo, quotidiana diligentia ſine impedimento; non furtiua ſignatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos pſalmi & hymni & mutuo prouocant, quis melius Deo ſuo cantet. Talia Chriſtus videns & audiens gaudet. His pacem ſuam mittit. Vbi duo, ibi & ipſe, ibi & malus non eſt.* De tali ergo matrimonio loquuntur Patres, quando id prædicant & extollunt. Vid. plur. Dn. Arnold. Abbild. der erſten Chriſten. *l. 6. c. 1. §. 4.* Tantum enim abeſt, vt Patres indiſtincte matrimonium ſanctum dixerint, vt potius matrimonia impiorum vocauerint *dedecus voluptuoſum;* Tertull. *lib. 1. ad vxor. c. 1.* item *contumeliam communem;* Idem *lib. de Monogam. c. 10.* Ac plane *ſcortationem.* Idem *de habit. mul. c. XI.* Et quomodo aliter ſentire potuerunt, cum iuxta doctrinam Apoſt. impuris omnia impura ſint *Tit. I. 15.* Hinc Baſilius M. *Tom. I. lib. de vera virg. p. m. 650.* ita verum matrimonium, quod honorabile eſt, deſcribit: *Tunc legi-*

timum

timum conſtat eſſe connubium, & ſecundum diuina iura inſtitutum, cum non voluptatis affectus legis ſcita præceſſerit, ſed adiumenti neceſſarii prolisque cauſa fuerit huiusmodi facta coniunctio. Ita NB. *fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem coniugii non præit obſcœna voluptas, ſed iacto ſecundum leges diuinas ſancto fundamento, matrimonium neceſſario ſequi voluptas deprehenditur:* paulo poſt autem de illis, qui non poſito ſancto fundamento affectu voluptatis moti matrimonium contrahunt, ita differit: *Sin autem ita ſe habet res, non ſe fallat, qui a virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Coniugium quippe illi in peccatum reputabitur, quia peſſimum coniunctionis huius fundamentum voluptatem iecit &c.* & ita alii etiam loquuntur. Vt adeo ſatis conſtet, quod patres, quando magni faciunt matrimonium, & vt rem ſanctam prædicant, de tali loquantur, quod iuſte ſancteque initum.

§. XXV. Sed progrediendum ad alia, atque iterum ad cenſuram reuocandus Carpzouius eſt propter ea, quæ tradidit *l. 2. def. 142. n. 11. 12.* quem locum, quamvis iam ante §. XXII. adduxerimus, nunc tamen ex alio capite licebit denuo examinare: ſcilicet ibi ſaltem reprehendimus, quod Carpzouius putet, Deum coniungere coniuges mediate per ſacerdotes; hic vero illam ſententiam examinabimus, qua Carpzouius ibidem cauſam indiſſolubilitatis in copula ſacerdotali quærit; ita *n. 11.* verba eius habent: *A quo ritu,* (ſcilicet copulæ ſacerdotalis) *eo minus recedendum, quia in nouo teſtamento Christus Saluator cauſam indiſſolubilitatis coniugii, in illo* (ſcilicet ritu) *maxime fundat, inquiens: quos Deus coniunxit, homo ne ſeparet.* Vti vero hæc ſententia nulla ratione ſolida nititur, ita contra facile colligi poteſt, ex quo principio deſcendat. Nam falſiſſimum eſt, per illa verba, *quod Deus coniunxit,*

Cauſam indiſſolubilitatis in copula ſacerdotali conſiſtere.

Ex ratione ſacramenti fluit.

iunxit, intelligi iſtum ritum copulæ ſacerdotalis, ſupra enim probauimus, eo tempore talem copulam in vſu non fuiſſe, adeoque non poteſt Chriſtus de ea ſenſiſſe. Deinde non poteſt dari ſufficiens ratio, cur præcise benedictio ſacerdotalis debeat cauſa eſſe indiſſolubilitatis, cum Carpzouius ipse illam pro ſolo ritu habeat; ritus externus autem non auget obligationem principalem. Sed vera ratio eſt ſumma illa ſuperſtitio, quam fouent Doctores circa copulam ſacerdotalem, quæ eſt ex reliquiis ſacramenti. Nam, vt ſecundum ius pontificium rem explicemus, per copulam ſacerdotalem fit ſacramentum, ſacramentum autem eſt indiſſolubile & nunquam irritum reddi poteſt, hinc inde neceſſario fluit, copulam ſacerdotalem eſſe cauſam indiſſolubilitatis.

Quodnam ſit fundamentum inſolubilitatis.

§. XXVI. Sed vt accuratius demonſtretur, ſacerdotem ſua copula non poſſe causam eſſe indiſſolubilitatis, videndum eſt, quodnam ſit illius inſolubilis nexus fundamentum. Et primo quidem eſt verbum Dei & præceptum diuinum, quia Deus hoc negotium coniunxit, atque ne ab hominibus illud diſſoluatur, prohibuit, quod autem Deus coniunxit, homo ne ſeparet; vti hoc modo verba ſupra §. 21. explicauimus. Specialis vero cauſa eſt copula carnalis, quæ promiſſionem matrimonii ſequitur. Id vero connexio verborum manifeſto probat; primo enim dixerat Chriſtus: *deſeret homo patrem & matrem & adglutinabitur vxori ſuæ, & erunt in carnem vnam, itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro*; his verbis immediate ſubiicit: *quod ergo Deus coniunxit, homo ne ſeparet*. Vt adeo ſatis perſpicuum ſit, ſermonem Saluatori eſſe de matrimonio non modo conſenſu contracto, ſed & per copulam carnalem conſummato. Accedit etiam ratio, quod identitas illa carnis non poſſit

ſepa-

ſeparationem admittere; quia iam non amplius duplex, ſed vna perſona, vna caro eſt. Sed illa identitas carnis certe non ſolo conſenſu matrimoniali, non copula ſacerdotali, ſed commixtione carnali contrahitur. Fateri etiam id cogitur Carpzouius, dum *l. 2. d. 65. n. 3. in fin.* concedit, copulam carnalem potiſſimam causam eſſe, ob quam indiuiduum redditur matrimonium. Quæ iterum non leuis contradictio eſt. vid. Illuſtr. Dn. Stryk. *tract. de diſſ. ſponſ. ſect. 3. §. 21. 22.* vbi ad Theologorum etiam conſenſum prouocat, quamuis Gerhardus ibi citatus videatur magis in alteram partem inclinare, cum benedictionis quidem ſacerdotalis, ſed non copulæ carnalis loco ibi citato mentionem fecerit, forte quia etiam exiſtimauit, benedictionem ſacerdotalem reddere matrimonium inſolubile.

§. XVII. Verum poſſet hic grauiſſimum nobis obiici dubium ex *1. Cor. VI. 16.* vbi Apoſtolus dicit, eum, qui ſcorto adglutinatur, vnum corpus fieri cum eo, & ſimul prouocat ad illa verba: *Erunt duo in vnam carnem;* Quod ſi ergo illa coniunctio corporum eſt fundamentum inſolubilitatis, ſequetur, nec ſeparari aliquem a ſcorto poſſe. Aſt res ſalua eſt. Nos enim (1) ſuppoſuimus fundamentum generale, ſcilicet præceptum diuinum, de non ſeparando coniuges, quod deficit in coniunctione cum meretrice. Deinde (2) non abſolute in commixtione carnali poſuimus fundamentum inſolubilitatis, ſed in tali coniunctione corporum, quæ legitime contractum matrimonium ſequitur: hic enim præceſſit conſenſus de indiuidua vitæ conſuetudine, & ſucceſſit plena conſumatio per illam copulam carnalem, per quam res in ſtatum non redintegrandum collocatur. Hæc autem ſecus ſunt in actu meretricio. Quin etiam (3) dum Apo-

Dubium remouetur ex 1. Cor. VI. deſumtum.

apoſtolus ibi de coniunctione corporum agit, & tamen prouocat ad verba *Gen. II. 24.* quæ Deus inſtitutioni matrimonii adiecit & Chriſtus *Matth. XIX. 6.* repetiit: *Erunt duo in carnem vnam*, eo ipſo oſtendit, illam vnitatem carnis non alio modo contrahi, quam commixtione corporum. Vt adeo hic locus noſtram potius ſententiam confirmet. Itaque contrahitur quidem aliqua identitas carnis actu meritricio, ſed non modo indiſſolubili, quia tale negotium non coniunxit Deus, ſed potius ſeparandum eſſe vult, dum a peccato omni modo abſtinendum eſſe iubet.

Aliud dubium remouetur.

§. XXIIX. Poſſet autem vlterius nobis obiici, quod tamen ſupra *cap. II. §. 25. 26.* reiecta fuerit illa hypotheſis, in commixtione ſexuum latere myſterium Chriſti & eccleſiæ, & concubitu ex ſponsalibus clandeſtinis fieri matrimonium: Nam reſpondetur, priorem ſententiam nos adhuc vt impiam ex Canoniſtis reprobare, cum omnino abſurdum ſit tantum myſterium ſpirituale ſub actu mere carnali comprehendere, cum apoſtolus *Eph. V.* non illum actum, ſed totum matrimonium, cuius præcipua pars eſt ſumma animorum coniunctio, figuram illius myſterii adpellare. Nec etiam ſequitur, fundamentum indiſſolubilitatis eſt copula ſacerdotalis, ergo hæc ſola eſt figura illius myſterii. Quod autem poſterius attinet, pariter nulla adeſt contradictio, nec enim omnis carnalis copula facit actum indisſolubilem, ſed illa, quæ matrimoniũ antea legitime contractũ ſequitur, alias de congreſſu cum meretrice idem eſſet dicendum. Vbi ergo nullum præceſſit legitimum matrimonium, ibi concubitus nihil operatur. Hinc potius ibidem aſſeruimus, ſponſalia valida, quæ inter & clandeſti-

deſtina, ſi perſonæ ſint ſui iuris, referimus, accedente concubitu reddi insolubilia.

§. XXIX. Hac occaſione non poſſum, quin illius etiam ſententiæ mentionem iniiciam, qua Theologi pariter, & ICti noſtri fere communiter ſtatuunt, præſtare matrimonium cœlibatui: vbi quidem non licet asſerere, ſententiam hanc directo fluere ex principio, quod matrimonium ſit ſacramentum: nam pontificii contrariam ſententiam tenent, & nihilominus illud principium habent. interim tamen cum illa communis ſuperſtitio, quæ fouetur circa matrimonia, dum illa ſancta dicuntur, ac ita quaſi ex numero negotiorum humanorum eximuntur, nata ſit ex illo principio, non puto me errare, ſi illam ſententiam per indirectum inter reliquias ſacramenti referam. Hinc & Carpzouius *l. 2. d. 2. n. 4. & 5.* ex ea ratione matrimonium cœlibatui præfert, quia matrimonium *pium eſt*, vt loquitur, *quia Deum habet auctorem*, & Chriſtus præſentia ſua & miraculo in Cana Galileæ illud condecorauit; (ex qua ratione pontificii ſacramentum ſuum corroborant, vt *c. 1.* dictum eſt) *& n. 6.* quia Deus fuit in paradiſo *paranymphus & ſacerdos*, quibus verbis videtur ad copulæ ſacerdotalis vim reſpicere & ideo matrimonium præferre cœlibatui.

Notatur ſententia Doctorum, præſtare matrimonium cœlibatui.

§. XXX. Cum itaque hanc ſententiam inter reliquias ſacramenti vel tamen alicuius ſuperſtitionis referamus, nunc probandum eſt, eam nullo alio fundamento ſolido niti. Ad id vero ſufficere poteſt teſtimonium Apoſtoli; qui *1. Cor. VII. 1. 7. 8. 26. 27. 32. 34. 38. 40.* non modo matrimonio nullam prærogatiuam concedit, ſed & cælibatum certo reſpectu matrimonio præfert. Nec rationes Carpzouii contra hunc locum quidquam efficere poſſunt. Sunt autem IV. rationes, vnde prærogati-

Probatur, illam ſententiam falſam eſſe.

gatiuam matrimonii defendit: (1) quia a Deo inſtitutum, (2) quia honorificum, (3) honeſtum, & (4) neceſſarium eſt, ob propagationem & conſeruationem generis humani. Sed reſpondetur (1) Deum etiam inſtituiſſe cœlibatum, primo enim Adamum ſolum creauit, deinde demum matrimonium inſtituit, & ſufficit, Deum cœlibatum non prohibuiſſe aut vllibi improbaſſe; nec (2) cœlibatus minus honorificus eſt, cum & Chriſtus & multi ſancti in cœlibatu vixerint; ſicut & (3) cœlibatus æque honeſtus eſt ac matrimonium, cum nulla eius turpitudo demonſtrari poſſit. Nec obſtat, quod vrget Carpzouius, quod propter fornicationem iubeat Apoſtolus *d. l. v. 2.* vt vnusquisque habeat ſuam vxorem, nam exinde non ſequitur, in cœlibatu ſtupra & fornicationes euitari non poſſe; igitur iuxta doctrinam Apoſt. *d. l. v. 17. 24.* vnusquisque vt ipſi partitus eſt Deus, vnusquisque vt illum vocauit Dominus, ita ambulet &c. Tandem (4) fateor neceſſarium eſſe matrimonium, quia, ſi omnes in cœlibatu manerent, mundus perire deberet; ſed hæc cura inanis eſt, nam non omnes capiunt verbum hoc. Sed & cœlibatus quandoque neceſſarius eſt propter regnum cælorum iuxta doctrinam Apoſtoli.

Noſtra ſententia.

Vt itaque de noſtra mente ſatis conſtet, non contemnimus matrimonium, vt ex pontificiis quidam, non dehoneſtamns, ſed negamus tantum illud in maiori pretio præ cœlibatu habendum eſſe. Vterque ſtatus, & cœlebs & coniugalis, pius, honorificus, honeſtus & neceſſarius eſt. Adeoque neuter alteri ita in genere præferendus: quandoque cœlibatus præſtat matrimonio, quandoq; matrimonium cælibatui. Vnusquisque vti Deus eum vocauit. Et ita ſenſerunt ſemper optimi probatiſſimique Doctores primitiuæ eccleſiæ, quorum teſtimonia addu-

adduci poſſent, niſi operam hanc occupaſſet Dn. Arnold. *tractat.* Vom ehelichen und unverehlichten Leben der erſten Chriſten *c. 6. & 7.* Qui libellus meretur, vt ab omnibus legatur, vt ſinguli intelligant, quantopere caſtitati, in matrimonio non minus quam cœlibatu ſtudere teneantur.

§. XXXI. Iam ad alios caſus progrediendum eſt, quibus reliquiæ ſacramenti ineſſe videntur. Scilicet notum eſt, ſponsalia priora publica præferenda eſſe poſterioribus, licet hæc pariter publica fuerint: quæ Doctorum vnanimis ſententia eſt. Quodſi vero ad poſteriora ſponſalia copula ſacerdotalis acceſſerit, tunc non pauci in contrariam ſententiam eunt, præferendo ita matrimonium, prioribus perfectis ſponſalibus. Vt facit Carpzouius *Iurispr. Conſ. l. 2. def. 66.* aliique, qui eum ſequuntur: quorum ſententia etiam in plerisque conſiſtoriis recepta eſt. Nos vero illam ſententiam omni iuri aduerſam eſſe exiſtimamus. Re enim accuratius inſpecta, facile conſtabit, ſponſalia poſteriora omneque, quod iis accedit, nullum eſſe. Nam ſuppoſito, priora ſponsalia eſſe perfecta, exinde ſua ſponte conſequitur, neutrum ex perſonis deſponſatis amplius habere ius ſeu facultatem inuita altera parte a priore obligatione recedendi & ſe alteri despondendi: vbi autem deficit ius ſe obligandi, ibi obligatio ipſa deficit: ſponsalia ergo poſteriora haud dubie nulla ſunt. Iam ſi ſponsalia poſteriora nulla ſunt, quæro, quomodo conualidari poſſunt per ſacerdotalem copulam? Sane & hæc neceſſario præſupponere debet ſponſalia perfecta & valida. Quæ ſi deficiant, non poteſt non ipsa etiam copula nulla eſſe, ſublato enim principali, tollitur acceſſoriũ. Non poſſunt ſola copula coniuges fieri, qui iure & ratione tales eſſe prohibentur. Nullus actus

Binis ſponſalibus publice contractis poſteriora præferuntur a Dd. ſi ad ea copula ſacerdotalis acceſſerit.

Idque contra rationem iuris.

externus conualidare poteſt negotium per ſe nullum. Vbi enim nullum fundamentum, ibi corruunt omnia, quæ illi ſuperſtructa. Ius quæſitum ſane priori ſponſæ, nec a perfido ſponso, nec a ſacerdote auferri poteſt.

Ex occulta ratione ſacramenti.

§. XXXII. Cur ergo tantam vim attribuunt Dd. copulæ ſacerdotali? ſcilicet ex nota illa ſuperſtitione, quam fouent circa illum actum ſacerdotalem, quam deſcendere ex reiecto principio, quod matrimonium ſit ſacramentum, iam ſupra probauimus. Silicet ex pontificiorum ſententia ſacramentum quidem initiatur in ſponsalibus de præsenti, ſed per copulam ſacerdotalem plene perficitur & consummatur, ſacramentum autem irritum reddere & diſſoluere non licet. Hinc eſſe coniicimus, quod noſtri tam acriter defendunt accedente copula ſacerdotali, negotium non amplius irritum reddi & diſſolui poſſe. Ad minimum ſi cui hæc coniectura displicet, ab eo adducenda alia ratio, cur ſola hæc copula tanto effectu gaudere debeat, quæ certe produci non poterit. Sed diceret forte quispiam, nos vel ideo iſtam ſententiam ex ratione ſacramenti deriuare non posſe, quia ipſi pontificii, qui ſtatuunt, matrimonium eſſe ſacramentum, tamen contrarium hoc casu aſſerunt, & poſterius matrimonium rescindunt, idque ex eadem ratione ſacramenti *c. 1. 3. & vlt. X. de ſponſ. duor. c. 31. X. de ſponſal.* Iam autem duas contrarias ſententias ex eodem principio fluere non poſſe. Sed responderur primo, textus illos non agere de casu, ſi ad poſteriora ſacerdotalis copula, ſed ſi carnalis tantum acceſſerit. Nam per matrimonium poſterius intelligunt Canoniſtæ ſponsalia de præsenti poſteriora: de copula ſacerdotali poſterioribus ſponsalibus accedente non licuit reperire textum expreſſum. Deinde quamuis adeſſet, vti etiam non negan-

Dubium remouetur.

gandum, ſententiam illam, qua diſſoluitur matrimonium poſterius, etiamſi illud fuerit per copulam ſacerdotalem consummatum, magis conuenire principiis papiſticis, qui primis ſponsalibus publicis de præsenti iam contractum eſſe ſacramentum ſtatuunt; ex eo tamen apparet, longe aptius cohærere principia pontificiorum hac in parte quam noſtrorum. Illi enim cum ſponſalia de præsenti habeant pro ipso matrimonio, non potuerunt non poſterius reſcindere & annullare, ſed noſtri, quamuis ſtatuant, ſponsalia de præsenti eſſe ipsum matrimonium, vide ſupra *c. 2. §. 10. ſeqq.* tamen poſterius matrimonium priori præferunt, contra propria principia. Nec obſtat noſtros tantum ſponsalia vocare matrimonium inchoatum, nam respondetur, pontificios etiam ſponſalia matrimonium inchoatum ſeu initiatum vocare. Deinde poſteriora ſponſalia nequidem dici poſſunt matrimonium inchoatum, quia ſunt nulla & inualida, ergo nec per copulam ſacerdotalem fieri poſſunt conſummatum, nam quod inchoatum non eſt, non poteſt conſummari; ergo nec ipſi præferendum negotium poſterius, quod nec pro inchoato nec pro consum̃ato matrimonio haberi poteſt. Pontificii ergo magis ſacramento initiato, noſtri vero magis ſacramento per copulam ſacerdotalem conſummato ſuperſtitiose inhærent, cum ex nullo alio capite tanta vis ſoli benedictioni ſacerdotali adſcribi poſſit. Hinc non eſt abſurdum, duas contrarias ſententias ex eodem principio falſo & male applicato fluere poſſe.

§. XXXIII. Sed dixeris, Carpzouium tamen alias ſententiæ ſuæ rationes ſubieciſſe, vt vel ideo dici non debeat, eam eſſe ex reliquiis ſacramenti: aſt respondeo, ſi ergo oſtendi poſſit, rationes Carpzouii inualidas eſſe, *Rationes Carpzouii pro communi ſententia examinantur.*

nulla ratio quam ſacramenti remanebit. Videamus itaque rationes Carpzouii, & (1) quidem prolixus eſt Carpz. *d.l.n.9.ſeqq.* vt probet, ſponſalia non eſſe ipsum matrimonium, circa quæ non hærebimus, quia facile consentimus. & ea potius contra Carpzouii propriam ſententiam, quam alibi habet, tendunt, vide ſupra *c.1.§.11.* Illud ſaltem quaſi obiter notamus, falſiſſimum eſſe, quod Carpz. ibidem *n.12.* tradit, *copulam & benedictionem eccleſiaſticam, vt quondam deductionem in domum ſponſi, non ad ſolennitatem tantum, ſed etiam ad perfectionem & NB. ſubſtantiam matrimonii requiri.* Si enim ad ſubſtantiam requiritur illa copula, ſequitur in vero & ſubſtantiali, vt ita loquar, matrimonio omnes illos non fuiſſe, qui olim ſine illa copula matrimonium contraxerunt. Cum autem matrimoniũ ſit negotium mere consensuale, cui poteſt adeſſe & abeſſe copula ſacerdotalis, hæc certe non poteſt dici ad ſubſtantiam pertinere. Si dixeris, hodie tamen pertinere illam copulam ad ſubſtantiam, quia legibus publice approbata & omnibus præscripta; respondeo, non ſequitur illud: Nam leges faciunt ex copula neceſſariam ſolennitatem; & requirunt illam pro forma externa, non pro ſubſtantia, quia adhuc hodie consensus non concubitus, non copula ſacerdotalis, facit nuptias. Cur ergo requirit Carpzouius hanc copulam pro ſubſtantia? Forte, qnia matrimonii ſacramentum ſine ſacerdote celebrari nequit? Sed hæc transeant. Videamus tantum, quomodo concludat Carpzouius; ita nempe: ſponſalia nondum ſunt matrimonium perfectum, hinc ea licet priora cedere debeant matrimonio perfecto poſteriori. Sed nego consequentiam, id enim eſt in quæſtione, an ſponſalia priora perfecta poſteriori matrimonio perfecto poſtponi debeant. Petit ergo principi-

Papizat Carpzouius.

cipium. Sed nego etiam poſteriora ſponſalia, copula ſacerdotali confirmata, eſſe perfectum matrimonium, quia totus actus poſterior nullus eſt, vt ſupra diximus. Sed pergit (2) Carpzouius ſententiam ſuam inde probare, quia alias fruſtranea eſſet trina proclamatio publica, quæ matrimonio præmitti ſolet, ſi prior ſponsa poſtea nihilominus audienda: reſpondeo, non eſt fruſtranea, ſi talis proclamatio ad prioris ſponſæ notitiam peruenerit, & illa tamen tacuit, & non in tempore contradixit, cum potuit; quia ſic tacendo iuri ſuo renunciaſſe cenſetur, quo ipso poſteriora ſponſalia conualidantur, vt iis valide accedere poſſit benedictio ſacerdotalis. Hoc ergo caſu habebit effectum proclamatio. Sed quid ſi prior ſponſa eius notitiam plane non fuerit conſecuta, forte ob remotionem loci, vel alias cauſas, an tum proclamatio ſola ipſi præiudicare poteſt? Minime omnium. Hoc ergo caſu vtique effectum habere nequit proclamatio, cum pro contumace haberi non debeat, cui ob ignorantiam nulla negligentia imputari poteſt. Porro (3) ſcandalum vrget Carpzouius, Papizat; quod daretur: *publica ſiquidem*, inquit, *benedictione, quaſi a Deo ipſo per os ipſius miniſtri ſui loquentis ſpectantibus angelis & hominibus perſonæ copulantur, vt per hoc Deo conſecretur, indiuiduæ conſuetudinis vitæ initium.* Hic quis non animaduertit ſummam ſuperſtitionem? Quamuis enim Tertullianum *l. 2. ad vxor.* citauerit, ibi tamen nihil hac de re habetur, quam quod ſupra §. 11. adductum eſt, vnde cop. ſacerdot. probari nequit. Sed ne quis dubitet, Iterum; mera papiſtica ſubeſſe principia, ita pergit Carpzouius: *a quo tempore*, ſcilicet copulæ ſacerdotalis, *matrimonium deſignare incipit, ſacramentum ſeu myſterium inter Chriſtum & eccleſiam.* Vbi prouocat ad *Epheſ. V. 29. ſeqq. & Can. Cum*

ſo-

ſocietas. c. 27. qu. 2. iunct. cap. debitum. 5. X. de bigam. non ordin. Sed in nullo textu inuenit præſidium, nam textus iuris diuini nullibi dicit, matrimonium ab eo tempore ſignificare illud myſterium, quo acceſſit illa copula ſacerdotalis, nec textus I. Can. de cop. ſacerdot. ſed de carnali agunt. Quamuis ſi & ſententia illa ex Iur. Can. probari poſſet, hoc ipso tamen nihil efficeret Carpzouius pro ſe; quin potius dum ad ius Can. & Couarruuiam, ICtum Pontificium prouocat, ſatis oſtendit, ſe Pontificiorum arare vitulo. Iam videamus concluſionem Carpzouii: *quis ergo*, inquit, *coniugium a Deo conſecratum, & tantum myſterium rumpere auſit? non profecto id fieret absque ſcandalo, quod omnibus modis euitandum.* Verum talis eſt concluſio, quales ſunt præmiſſæ. Falſum enim eſt, tale matrimonium a Deo conſecratum eſſe. Deus non ſolet consecrare matrimonia, fraude, dolo ac perfidia in alterius præiudicium contracta, nec copula ſacerdotalis eſt consecratio diuina, ſi accedat actui illicito, nec Deus ſemper benedicit illis, quibus benedicunt ſacerdotes. Nullum eſt hoc matrimonium & inualidum, ac Deo potius abominationi. Hinc & falsum eſt, tale matrimonium illicitum, impium, turpe, contra voluntatem Dei contractum, eſſe myſterium. Vnde nunc facile contraria elici poteſt concluſio, ſcilicet nullum ſcandalum eſſe, ſi tam illicita coniunctio diſſoluatur. Scandalum potius eſt, ſi non diſſoluatur, cum ita perfidiæ & dolo ianua aperiatur, & illud, quod adhuc laudandum eſt in benedictione ſacerdotali, potius proſtituatur, ac ita ex illa benedictione efficiatur medium, perfidiam ſuam impune exercendi. Rectius ergo feciſſet Carpzouius, ſi contrariam ſententiam, quam prius fouit & defendit *in Prax. Crim. P. 2. qu. 67. n. 58. ſeqq.* retinuiſſet. Conferatur pro noſtra ſententia

tentia

tentia Illuſtr. Dn. Stryk. *Tr. de Diſſenſ. ſponſ. ſect. 4. c. 2. §. 5. & ſect. 5. §. 36. ſeqq.* Berlich. *P. 4. concluſ. 28. n. 26. ſeqq.* aliique ab his citati.

§. XXXIV. Ex eodem principio papiſtico, quo matrimonium dicitur ſacramentum, fluit etiam illa Dd. ſententia, qua ſponſalia quidem ſine parentum conſenſu contracta nulla dicunt, ſed ſi tranſierint in matrimonium per copulam ſacerdotalem, tunc ea valida eſſe nec amplius reſcindenda pronunciant. Carpzouius *d. l. 2. def. 60. n. 2.* Cypræus *de Sponſal. c. 10. §. 10.* Dedekenn. *Vol. 3. Conſ. Theol. l. 4. Sect. 1. n. 12.* aliiq; magno numero citati a Brucknero *Deciſ. matrim. c. 2. n. 91.* Hi vero vti cum Pontificiis Dd. optime conueniunt, cum in Concilio Tridentino Seſſ. XXIV. *de Reform. matrim. c. 1. de Clandeſt. matrim.* anathema dicatur illis, qui affirmant, matrimonia a filiisfam. ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe, idque ex ratione, quia irritum reddi non poteſt ſacramentum, vt docet Pallauicinus *in Hiſtor. Concil. Trident. l. 22. c. 4. §. 8.* ita non leuis coniectura eſt, ex eodem principio noſtrorum quoque promanaſſe ſententiam. Si enim hoc non eſſet, quæſo, cur ſoli copulæ ſacerdotali tanta vis concederetur, actum per ſe nullum & vitioſum conualidandi & indiſſolubilem reddendi.

Ex eodem principio fluit ſententia communis, matrimonium inuitis parentibus contractum non eſſe reſcindendum.

§. XXXV. Rationes enim, quas prætendunt diſſentientes, nullius momenti ſunt; exhibet iſtas Bruknerus *Deciſ. matrim. c. 2. n. 82. ſeqq.* & ſunt ſequentes I. quia copula carnalis clandeſtinitatem purgat; II. multa matrimonium contrahendum impediunt, quæ iam contractum non diſſoluunt; III. virginitas mulieri ſemel erepta reſtitui nequit; IV. liberi inde nati eſſent illegitimi; V. ſcandalum tali reſciſſione daretur, & benedictio ſacerdota-

Rationes communis ſententiæ adduntur.

dotalis publice ludibrio exponeretur, cum tamen hæc matrimonium etiam illegitimum inſolubile, etiam inter proteſtantes, faciat, ceu conſensum multorum collegiorum Theologicorum ibidem adducit; VI. quia ſi parentes ſua poteſtate abutuntur, magiſtratus eorum conſensum ſupplere poteſt: VII. quia militis, qui poſt deſponsationem mulierem rapuit & cognouit, matrimonium validum declaratur, licet parentes reclament *cap. 6. X. de raptor.* VIII. Pauli ICti teſtimonium adducitur, & IX. Conſtitutio Caroli V. *in Comitiis Auguſtanis Anno 1545.* edita *tit.* vom Sacrament der Ehe. *21. §. 9.* vbi non irritum dicitur matrimonium ſine conſensu parentum contractum, ſed liberi tantum pœna adficiuntur.

Ad eas reſpondetur;

§. XXXVI. Verum cum hic miſceantur rationes illorum, qui dicunt conualidari benedictione ſacerdotali & ita ſubſequente matrimonio, de priori quæſtione autem iam ſupra a nobis *cap. 2. §. 27. ſeqq.* actum ſit, igitur hæ diuersæ quæſtiones hic ſeparandæ ſunt, ne eadem bis repetere teneamur. Ad I. itaque rationem reſponſum eſt ſupra *d. c. 2. §. 25. 26.* Ratio II. huius loci ſed nullius momenti eſt, nam primo deficit fundamentum, quare non illud, quod impedit matrimonium contrahendum, etiam dirimere debeat matrimonium contractum, cum hoc, propter præcedentem legem prohibitiuam ſit nullum, inualidum, ac ita pro matrimonio non habendum. Hoc ſane modo omnes leges prohibitiuæ facile ludibrio haberi poſſunt, quod omni rationi aduerſum eſt. Deinde, quamuis interdum ob cauſas minimas non ſoleat diſſolui matrimonium iam consummatum, hoc tamen ad cauſas maiores, (quorſum pertinet neglectus conſensus paterni, cuius neceſſitatem ex

ipso

ipſo iure diuino deriuant noſtri. vid. Carpzou. *Iurispr. Conſ. l. 2. d. 29.*) extendere, & quaſi generalem regulam inde facere, omnino inconueniens & iniquum eſt. Ad III. rationem iam ſupra *c. 2. §. 26. & 29.* reſponſum eſt, quæ & huc non pertinet, quia agimus de vi ſubſequentis benedictionis ſacerdotalis. Ad IV. pariter ſupra reſponſum §. 29. Ceu etiam ad V. ibidem quædam regeſta ſunt. quod vero in ſpecie illud ſcandalum attinet, quod inde datur, dum benedictio ſacerdotalis ita ludibrio habetur, hoc tantum prætenſum ſcandalum eſt, non verum. Non enim vlli negotio maior vis adſcribenda, quam re vera ipſi ineſt. ſub prætextu honoris, qui benedictioni ſacerdotali debetur, non ſunt conculcandæ leges diuinæ & humanæ, nec minus pro conſeruatione harum, quam pro honore copulæ ſacerdotalis laborandum. Eſt ſane non ludibrio habenda benedictio ſacerdotalis, ſi accedat negotio licito, & ſecundum voluntatem Dei contracto, ſed ſi quis eadem vtatur tanquam vinculo iniquitatis, nihil nocet etiamſi fictitius effectus ipſi auferatur. neque ita ludibrio habetur ipſa benedictio, ſed ſuperſtitio eorum, qui plus iuſto illi tribuunt. Hanc ſuperſtitionem detegere, eamque publice improbare, non eſt creare ſcandalum. Quin potius ſcandalum maius inde naſcitur, quando veritas ſupprimitur, & animi hominum ab illa ſuperſtitione non liberantur. Hinc conſenſus Collegiorum Theologicorum, quem adducit Brucknerus, nobis, qui non auctoritatibus, ſed rationibus diſputamus, nihil obeſt, quin potius manifeſto inde patet, quantas iam radices egerit communis ſuperſtitio. Ad VI. rationem reſpondeo, verum eſſe, quod dicitur, ſi parentes ſua poteſtate abutantur; ſed abuti illos eadem, quando matrimonia talia clan-

deſtina improbant & pro irritis declarant, hoc eſt, quod negamus, quia hæc poteſtas ipſis de iure conceſſa. Nec VII. quidquam facit, quod ex Iure Can. de milite adducitur, nos enim ex aliis quam iuris Can. principiis diſputamus, quia Ius Can. non aliud fundamentum habet, quam quod matrimonium ſit ſacramentum; vti nec VIII. Pauli ICti teſtimonium nobis valide opponi poteſt, cum ſatis notum ſit, nos in matrimonialibus non antiquorum ICtorum placita, nec ſemper iuris ciuilis Romani principia, quamuis iis Pauli ſententia omnino contraria ſit, *vid. §. 12. Inſt. de Nupt.* ſequi. Paulus ergo cum non habuerit poteſtatem legislatoriam, nos non ſtringit; maxime cum ille locus Pauli ex libro non authentico ſit deſumtus, cui obſtat eiusdem Pauli contraria ſententia *L. 2. ff. de Rit. Nupt.* Quod tandem IX. conſtitutionem imperialem Carolinam attinet, ſatis iam oſtendit Brouwerus *tract. de iure Con. l. 1. c. 10.* eam ex eodem papiſtico principio, quod matrimonium ſit ſacramentum, deſcendere, hinc cum Imperator contra ſuæ religionis principia ſacramentum diſſoluere non potuerit, eum tale matrimonium toleraſſe, & tantum pœnam liberis, matrimonium ſine conſenſu parentum ineuntibus, dictitaſſe. Conferatur pro noſtra ſententia Illuſtr. Dn. Stryk *tract. de diſſenſ. ſponſal. ſect. 5. §. 41. ſeqq.*

Non reſcindendum eſſe matrimonium contra prohibitionem diuinam contractum. Pariter ex ratione ſacramenti eſt.

§. XXXVII. Ex eodem principio decidi poteſt illa controuerſia, quæ agitatur inter Doctores, de dirimendo vel tolerando matrimonio contra ius diuinum Leu. XVIII. contractum. Vbi quidem notum eſt, communem Doctorum ſententiam eſſe prohibitionem iſtam eſſe moralem, atque adeo omnes homines ſtringere; hanc ergo ſententiam, quia omnes, contra quos hic diſputamus, eam defendunt, vtut non ignotum ſit, alios

dubia

dubia circa eandem mouere, hic fundamenti cauſa præſupponimus, litem tamen hanc noſtram nunc non facientes. Quid ergo ſi matrimonium contra expreſſam prohibitionem diuinam contractum, quæritur, an reſcindendum ſit? Negant hoc multi. vid. Carpz. *Iurispr. Conſiſt. l. 2. def. 99. & Iurispr. For. P. 4. Conſt. 23. def. 11.* Ioach. a Beuſt. *de ſponſal. l. 2. c. 25.* Dedekenn. *Conſil. Theol. Vol. 3. l. 3. Sect. 1. tit. 2. n. 2.* Brukner. *Deciſ. matrim. c. 5. n. 50. ſeqq.* Equidem concedunt, ſponſalia hoc casu diſſoluenda eſſe, licet copula carnalis acceſſerit, ſed ſi acceſſerit benedictio ſacerdotalis, & ita matrimonium iam fuerit conſummatum, hoc non eſſe diſſoluendum. Carpz. *d. l. 2. def. 100. & def. 83.* Iam autem ſi ea, quæ hactenus dicta ſunt, conferamus cum hac Dd. ſententia, ſine magno ſtudio apparebit, hanc ſententiam pariter ex ratione ſacramenti per benedictionem ſacerdotalem conſummati, & ſic non amplius diſſoluendi, deſcendere. Cur enim alias tanta vis copulæ ſacerdotali tribui poſſet, in negotio nullo, vitioſo, & iuri diuino aduerſo? Ita ſane maior virtus huic actui ſacerdotali tribuitur, quam ipſis legibus diuinis. Mirum dictu, negotium aliquod a Deo prohibitum, ab hominibus tamen tolerari! ita Deus dat legem, homo limitat & plane tollit. Quanta non, bone Deus, occaſio delinquendi datur hominibus! Demus caſum, fratrem & ſororem illicito amore trahi ad matrimonium ineundum, abeunt ergo ad locum, & diſſimulata conſanguinitate, benedictionem ſacerdotalem furantur; hi ergo non ſeparandi ſunt, quia acceſſit benedictio. An quidquam apertius legibus diuinis poteſt eſſe contrarium? Teſtor bonos omnes, annon talis coniunctio, ſacerdote licet interueniente, abominationi Deo ſit? Inceſtum hunc eſſe, etiamſi ſub coniugii prætextu fiat, fatetur Carp- Probatur.

Carpzouius *Prax. Crim. qu. 73. n. 89. ſeqq. & qu. 74. n. 87. ſeqq.* & tamen non vult reſcindi negotium. Recte proinde Brunnemannus *de iure eccleſ. l. 2. c. 16. §. 27.* dicit: *quoties repetitur copula carnalis, toties repetitur & renouatur inceſtus. Sicut enim adulterium non tantum in primo congreſſu committitur, ſed toties, quoties congrediuntur, ita & inceſtus. Si ipſum matrimonium a Deo prohibitum eſt inceſtus, vtique continuus inceſtus eſt continuum peccatum mortale.* Ad quod qui regerunt, inceſtum tantum ab initio committi, poſtea non amplius eſſe inceſtum, illi non modo cum ratione, vt dicitur, ſed & ſine ratione inſaniunt. Vnde ergo licitum fieri ſola benedictione ſacerdotali poteſt, quod coram Deo turpe eſt? Nihil itaq; reliquum eſt, quod talem benedictionẽ conualidare poſſit, niſi ſum̃a ſuperſtitio ex erroribus papiſticis nobis reliqua. conf Dn. Stryk. *d. Sect. 5. 24.*

Adducuntur rationes contrariæ ſententiæ.

§. XXXVIII. Sed videamus rationes, quibus ſuam ſententiam ſtabilire intendunt Doctores. Sunt autem ſequentes (1) quia Moſes, quamuis vetat tale matrimonium, tamen de facto contractum & conſummatum non diſſoluit, ſed tantum pœnam addit: *portabunt*, inquit, *ambo iniquitatem ſuam & ſine liberis morientur Leuit. XX. 19. 20. 21.* (2) prouocant ad exempla Abrahami, qui ſororem conſanguineam *Gen. XX. 11.* & Iacobi, qui duas ſorores, *Geneſ. XXIX.* in matrimonio habuit, qui tamen non ſunt ſeparati. Cui (3) adiiciunt, quod multa ab initio facilius impediantur, quam ſi facta fuerint, reſcindantur. *cap. 25. X. de iureiur.*

Refutantur.

§. XXXIX. Hæc ſunt illæ rationes, quibus impium dogma ſuum probare an̄ituntur, ſed vix dignæ ſunt reſponſione. Nam ad primam iam ſatis reſpondit Dn. Stryk. *d. l. §. 25.* Moſen ibi non loqui de diſſolutione, quaſi de re ſatis nota, ſed de pœna & maledictione eiusmodi

di matrimonii, vbi & ex conſenſu Auguſtini probat, verba, *nulli ex eis liberi naſcentur*, nihil aliud indigitare, quam quod ſeparandi ſint; quam Auguſtini explicationem etiam approbauit Collegium Iuridicum Lipſienſe in Reſponſo ibidem §. *26.* adducto. Et quæ quæſo argumentatio eſt, Moſes non dixit, eos ſeparandos eſſe, ergo non ſunt ſeparandi? Sufficit, quod Deus iam ante per Moſen *Leu. XVIII.* tales coniunctiones prohibuerit, quod dum fecit, iam eo ipſo noluit tale matrimonium tolerari: non ergo opus erat, vt exprimeretur, quod tacite inerat primæ prohibitioni. Verba ergo eo tendunt, quod etiamſi tale matrimonium fuerit occulte contractum, tamen improles eſſe iſtiusmodi coniuges, nec ex tali matrimonio liberi naſci debeant. Huius ergo poſitio non eſt prioris ſcil. diſſolutionis excluſio. Immo non pauci locum illum de pœna intelligunt, quod mortis pœna affici debeant, ne ex illis naſcantur liberi. Quam explicationem ipſe Abrahamus Calouius in *Biblicis ſuis Grot. ad d. l.* adducit & tuetur. Hac autem ſententia poſita eo minus nobis textus ille aduerſatur. Mirum etiam (2) eſt, quod Dd. ad exemplum Abrahami & Iacobi prouocent, cum tamen hi ante legem Leu. XVIII. latam vixerint, quæ cum non ſit lex moralis naturalis, ſed tantum moralis poſitiua, loquor ex hypotheſi communi, quam & diſſentientes fouent, quomodo potuit ea Abrahamum & Iacobum ſtringere, antequam eſſet publicata? quod Mayerus *de coniug. Iacobi* abſurde tuetur. Ad rationem (3) iam toties quoties ſupra reſponſum eſt, illam regulam eſſe particularem, a particulari autem ad vniuerſale non valet argumentum. Sufficit hic adeſſe prohibitionem diuinam, quæ ſat causæ eſt non modo ad impediendum, ſed ad dirimendum quoque matrimonium. Neque etiam illa regula de prohibitione diuina, ſed tantum

de

de humana eſt intelligenda: quod enim humano iure prohibitum, facilius tolerari poteſt, non quod iure divino; cum hic perpetuum adſit vitium. Equidem Carpzouius videtur pie agere, dum excipit lineam deſcendentem & collateralem primi gradus, h. e. matrimonium inter parentes & liberos, item inter fratres & ſorores; ſed cur non in ceteris caſibus, pariter iure divino expreſſe prohibitis, idem obtinere debet? Vbi quæſo diſtinctio illa in iure diuino fundata? Equidem huic obiectioni alii occurrere volunt, diſtinguendo inter caſus, iure etiam naturali, quales hi modo nominati ſunt, & inter caſus, tantum iure poſitiuo, prohibitos. Sed primo diſtinctio illa non valet, ſi agatur de iure poſitiuo divino vniuerſali, quod enim huic aduerſum, æque nullum eſt, quam quod iuri naturæ eſt contrarium; quia Deus vtriusque iuris autor eſt. Deinde iam ſatis notum eſt, nondum conuenire Dd. an inceſtus ſit contra merum ius Naturæ; negat id Excell. Dn. Thomaſ. *Iurispr. diuin. l. 3. c. 2. n. 229. ſeqq.* Saltem quod matrimonium inter fratres & ſorores non ſit contra ius naturæ, iam plurimi defendunt, inter alia exemplo matrimonii liberorum Adami. vid. Pufendorf. *de I. N. & Gent. l. 6. c. 1. §. 34.* add. Grotius *de I. B. & P. l. 2. c. 5. §. 13.* cur itaque hoc ſeparari debet, cum non ſit contra ius naturæ? Aut quis tandem legitimus iudex eſſe debet, quænam matrimonia ſint contra ius naturæ? Nihil itaque hac diſtinctione efficitur. conf. Gerhardus *loc. de coniug. §. 289. 346. & 648.* Hauemann *in Gamologia l. 2. tit. 5. poſit. 9.*

Neque ſufficit diſtinctio inter caſus iure naturæ & poſitiuo prohibitos.

De matrimonio putatiuo.

§. XL. Ex dictis nunc facile iudicari poteſt, quid ſentiendum de caſu, ſi duo in gradu prohibito ignoranter contraxerint matrimonium, quod *putatiuum* dici ſolet, an hi comperto errore ſeparandi ſint? Carpzouius

zouius id negat, & ſatis audacter Canoniſtis ſubscribit *d. l. 2. d. 99. n. 10. & iurispr. For. P. 4. Conſt. 23. def. 11. n. 6.* Vbi quidem Canoniſtis ignoscendum eſt, qui tale matrimonium ex ratione ſacramenti ſuſtinent. ſed quid causæ mouerit Carpzouium, vt eandem defenderet ſententiam, nemo facile poterit hariolari, niſi tectam ſacramenti rationem hic etiam latere ſtatuatur. loquor autem de casu contracti ignoranter matrimonii in gradu iure diuino prohibito, de quo casu ibidem etiam loquitur Carpzouius. Si forte præſidium quæras in ignorantia iuſta contrahentium; respondeo, hanc quidem liberare a pœna & efficere, vt liberi inde nati habeantur pro legitimis, atque ita excusare personas quamdiu fuerunt in iſta ignorantia, ſed non poſtquam notitiam fuerunt consecuti. Neque prior ignorantia actum iuri diuino per ſe aduersum poteſt validum reddere, quin potius qui agnoscit, ſe antea ignoranter peccaſſe, vt a peccato abſtineat, neque ſcienter peccare pergat, obligatur. Inde hoc casu, comperto errore dirimendum eſſe matrimonium recte dicitur in *L. 4. de inceſt. nupt.* Repetenda ergo hic ſunt, quæ de matrimonio contra ius diuinum contracto ante diximus. Vnde apparebit, nihil amplius ſupereſſe, quod diſſolutioni talis matrimonii repugnare poſſit, quam ſolam copulam ſacerdotalem, ne ea, (& ita tacitum ſacramentum) irrita reddatur.

Matrimonium dolo contractum & conſummatum non reſcindi ſolet.

§. XLI. Neque prætereundus hoc loco casus eſt, ſi quis dolo alterius fuerit inductus ad ineundum cum eo matrimonium, illudque iam fuerit consummatum per ſacerdotalem copulam, an tale matrimonium ſit diſſoluendum & pro irrito declarandum. Pontificii id negant. vid. Couarruu. *de matrim. P. 2. c. 3. §. 7. n. 4.* Molin. *de iuſt. & iur. tr. 2. Diſſ. p. 352. n. 5.* ſcilicet ex ratione ipſis

Q pro

propria, quod matrimonium ſit ſacramentum. Sequuntur autem pontificios multi ex noſtris, qui pariter aſſerunt, dolum tantum impedire matrimonium contrahendum, non autem dirimere iam contractum Carpzou. *Iurispr. conſiſt.l. 2. def. 204. n. 12.* Gerhard. *loc. de coniug.* §. *116.* Ioh. Kitzelius *in Syn. Matrim. c. 4. theorem. 15. lit. c.* aliique ab hoc allegati. Vbi non dubito, eandem ſententiam ad reliquias ſacramenti referre. Nec enim ad aliam rationem vltimato confugiunt, quam ad hanc, quod benedictio ſacerdotalis iam adhibita. Vnde vero hæc benedictio tantam vim nacta ſit, ſupra iam demonſtratum; ſcilicet ex nullo alio fonte quam exinde, quod pontificii ſtatuant, tali benedictione celebrari & confici ſacramentum. Quod ſi ergo probem, tale matrimonium nullum, irritum & iniuſtum eſſe, ſtatim ſua ſponte conſequitur, præter ſuperſtitiosam illam rationem, nullo fundamento niti Doctorum ſententiam. Illud autem probare facillimum eſt, cum ex communi omnium Doctorum ſententia eſſentia matrimonii in consensu contrahentium conſiſtat, nihil autem magis consensum excludat quam dolus. Carpz. *d. l. def. 183. n. 13.* Hinc & Gerhardus *d. l.* concedit, omnem illum dolum eſſe contra eſſentiam matrimonii, vbi in personam illam nunquam conſenſiſſem, niſi dolo ad id adductus fuiſſem. Iam autem ſi dolus excludit consensum; & ita contra ſubſtantiam matrimonii eſt, vtique ceſſante consensu ceſſat etiam obligatio, & ſic totum negotium eſt nullum. Quid ergo operabitur copula ſacerdotalis, accedens negotio nullo & inualido, cum & ad eum dolo adducta ſit pars aduersa? An hic ſola benedictio quidquam operari poteſt? Quoties ergo doloſe alter inductus & ita matrimonio iunctus, non Deus, ſed diabolus, mendaciorum pater

Quod pariter tantum ex ratione ſacramenti fluit.

ter hos coniunxiſſe dicitur, vnde merito per Dei miniſtros hi ſeparandi, ſi hoc deſideret perſona decepta, vt recte diſſerit Cypræus *de ſponſal. c. 13. §. 58. n. 2. circa fin.* Conferatur pluribus pro noſtra ſententia Dn. Stryk. *d. tract. ſect. 2. §. 13. & ſect. 5. §. 49.* Fruſtra ergo Kitzelius *cit. loc.* diſtinguit inter reliquos contractus bonæ fidei & contractum nuptialem, ibi quidem dolum causam dantem negotium prorſus irritum reddere, ſed non hic: nam deſidero rationem huius diſtinctionis; quæ dari non poteſt. Sane ſi vllum negotium vero ac libero conſenſu conſtare debet, matrimonium debet; cur ergo hoc minus quam reliqui contractus, dolo irritum reddi debet? Maius certe hic adeſt præiudicium, quam in reliquis contractibus de bonis temporalibus & reparabilibus initis, cum ex matrimoniali hoc contractu ſæpe æterna ſalus dependeat. Inde & pro diſſoluendo tali matrimonio pronunciatum eſt ab illuſtri collegio Iuridico huius loci, quod præiudicium adducit Dn. Stryk. *d. Sect. 5. §. 51.*

§. XLII. Non eſt hic omittenda illa quæſtio, an legibus ciuilibus a magiſtratu matrimonium irritum reddi poſſit, ita, vt etiam, quod contra leges initum & iam conſummatum per copulam ſacerdotalem, iterum diſſolui poſſit? Pontificii non poſſunt non quæſtionem hanc negare, quia illi, ex hypotheſi, quod matrimonium ſit ſacramentum, ac adeo res ſpiritualis, nullam poteſtatem & iurisdictionem hac in parte magiſtratui ciuili largiuntur, maxime ne ſacramentum irritetur. Nec noſtri Doctores aliter ſentiunt, cum enim matrimonium etiam contra leges diuinas initum non permittant reſcindi, vt ſupra oſtensũ §. 37. 38. multo minus id permittere poſſunt, ſi tantum legibus humanis fuerit prohibitũ.

An legibus ciuilibus matrimonium irritum reddi poſſit?

Negant Dd. ex ratione ſacramenti.

 Quam

Contrarium defenditur.

Quam ſententiam pariter inter reliquias ſacramenti numerandum eſſe exiſtimamus. Cum enim ſupra probatum ſit, matrimonium eſſe negotium ciuile, per ſe patet, illud arbitrio principis eſſe ſubiectum, ita vt hic de matrimonio, quemadmodum de ceteris negotiis ciuilibus ſtatuere pro lubitu poſſit, modo non ſit ſacræ ſcripturæ contrarium. Huius autem imperio cum ſubiecti ab ipso Deo ſint omnes ſubditi, etiam propter conſcientiam *Rom. XIII. 1. ſeqq.* haud dubie in conſcientia obligantur ſubditi, vt legibus magiſtratus etiam hac in parte ſe ſubmittant; quod ſi non faciunt, & ita matrimonium legibus ciuilibus reprobatum contrahunt, non modo peccant, ſed & ipsum matrimonium ob deficientem contrahendi facultatem nullum eſt, & ſic nec validum reddi ſola copula ſacerdotali poteſt; vt adeo non tam reſcindendum ſit, quam pro nullo declarandum. Neque vlla ſolida ratio inueniri poteſt, quæ tale matrimonium conſeruare poſſit, niſi ad rationem ſacramenti, aut quod idem, ad illam prætenſam vim copulæ ſacerdotalis confugere velis. Nec obſtat agere ita magiſtratum contra ius diuinum, quod vult, matrimonia eſſe debere indiſſolubilia, nam reſpondetur, nos id concedere de matrimonio vero, perfecto, valido, non de tali, quod nullum, ac adeo matrimonium non eſt; quin quod hoc non diſſoluatur, quia nunquam fuit validum, ſed tantum pro nullo declaretur. Illuſtr. Dn. Stryk. *d. Sect. 5. §. 39. & 40.* vbi *§. 42.* ſpeciale edictum exhibet, quo Seren. & Potentiſſimus Rex Boruſſiæ Anno 1694. die 15. Decemb. conſtituit, matrimonia ſine parentum conſenſu a liberis contracta, ſi velint parentes, a Conſiſtoriis reſcindenda eſſe, etiamſi copula carnali, & benedictione ſacerdotali fuerint conſummata.

§. XLIII.

§. XLIII. Vti ergo ex ſuperioribus conſtat ius hoc omnino principi competere, legibus futura irritare matrimonia, ita æquitas ipſa hoc admittit temperamentum, niſi clauſula illa caſſatoria & annullatoria in legibus non expreſſe adiecta; nam ob ſolam prohibitionem non ſtatim reſcindendum eſſe matrimonium iam conſummatum largior; ſed non ideo, quod tanta vis ſit copulæ ſacerdotalis, verum (1) quia legislator prohibendo & non irritum declarando actum, videtur tantum pœna dignos contra venientes iudicare voluiſſe; maxime cum (2) hic res non amplius integra ſit, nec omnia in priſtinum ſtatum reſtitui poſſint: quæ tamen ratio non attendi poteſt, ſi princeps ipſum actum annullauerit: tum enim ſi non omnia in priorem ſtatum reſtitui poſſunt, imputet ſibi, qui damnum inde ſentit, quod contra leges egerit, neque a tali actu abſtinuerit. Limitatio.

§. XLIV Iam multa dicenda eſſent de fauore matrimonii, cuius intuitu Doctores neſcio quæ non ſingularia ſtatuunt, ceu ſpeciales de hac materia editæ diſſertationes oſtendunt; quæ omnia non incommode nunc iuſto ordine adduci poſſent atque examinari, vtrum ſolido nitantur fundamento, an ſecus: Verum, quia ſub manibus creuit hæc diſſertatio, nolumus lectori nimia prolixitate tædium creare. Hinc tantum manuductionem quandam ſuppeditabimus, quomodo facile de quibusuis caſibus ſpecialioribus, in quibus deciſio ex fauore matrimonii peti ſolet, iudicium ferri poſſit. Rem omnem puto certis quibusdã regulis comprehendi poſſe, quarum I. hæc eſt: VT PLVRIMVM SVB FAVORE MATRIMONII LATET RATIO SACRAMENTI. cum enim matrimonium a pontificiis habeatur pro ſa- De fauore matrimonii. Regulæ generales.

cramento hoc vero nullo modo vel impediendum vel reſtringendum vel reſcindendum eſſe aſſerant. hinc fauore eius illa quoque ſubſiſtere ſtatuunt, quæ alias nullo iure valida ſunt. Hos poſtea ſecuti ſunt noſtrates, qua pariter, quando hoc vel illud nulla alia ratione defendi poteſt ad fauorem matrimonii, imprudenter & ſine ratione confugiunt. Sequitur regula II: MATRIMONIVM, RITE ET IVSTE SECVNDVM INSTITVTIONEM DIVINAM CONTRACTVM, MAGNVM HABET FAVOREM, NON TANTVM IN FORO POLI, SED ETIAM IN FORO SOLI. Neque iuſtum & legitimum matrimonium ſuo priuandum fauore eſt, quod Deus inſtituit & benedictione ſua dignatus eſt, quodque figura eſt tanti myſterii; huic ſane etiam nos fauere, illudque omnibus modis promouere, vt debitum ſcopum & finem obtineat, oportet. Vt vero contrariorum contraria ratio eſt, ita inde fluit regula III: MATRIMONII INIVSTE CONTRA LL. DIVINAS ET HVMANAS CONTRACTI NVLLVS EST FAVOR. Cum enim iſtiusmodi coniunctio praua non ſub benedictione ſed maledictione ſit, vtique eo minus fauorem meretur, quo magis odio digni & pœna omnes illi, qui præcepta diuina transgrediuntur, & imperio magiſtratus ſui tanquam ordinationis diuinæ ſe ſubtrahunt. Regula IV. hinc pariter fluit, quæ hæc eſt: VBI NVLLVM MATRIMONIVM, IBI NVLLVS EIVS FAVOR. Quia fauor matrimonii præſupponit neceſſario verum validumque matrimonium. Vbi ergo actus externus formam matrimonii quidem externam habet, ſed reuera nullus eſt, & pro matrimonio non habendus, ibi etiam nullus eius fauor eſſe poteſt: Nam non entis nullæ ſunt affectiones. Vnde porro naſcitur regula V: VBI NON

CONSTAT ADESSE MATRIMONIVM, IBI FRVSTRA PROVOCATVR AD FAVOREM MATRIMONII: quia fauor matrimonii præsupponit eius exiſtentiam, vt adeo non probato matrimonio non poſſit recurri in deciſione causarum ad fauorem matrimonii. Ex quo fonte regula VI. oritur: FALSVM EST IN DVBIO SEMPER PRO MATRIMONIO IVDICANDVM ESSE. Quamuis vero communiter Dd. contrarium ſtatuunt, quorum ſententia lubrico hoc nititur fundamento, quod omni modo homines ad illud ineundum adduci debeant. Pontificii in dubio pro matrimonio iudicant, ne forte in dubio rescindatur ſacramentum: ſed hæc ratio apud nos ceſſat. Valet autem hæc regula noſtra, in casu promiſſi matrimonii, ſi de hac promiſſione dubium ſit: aliud ſi personæ hactenus vt coniuges, in communione corporum, alioque modo vixerint; dum enim res non amplius mere dubia eſt, cum maiores rationes pro matrimonio pugnent, quam contra illud, & nihil aliud hic dubium faciat, quam quod consummatio per copulam ſacerdotalem probari nequeat. Sequitur regula VII. & vltima: NIHIL OB FAVOREM MATRIMONII STATVENDVM EST, CVIVS NON PRAETER FAVOREM ALIA RATIO DARI POTEST. Oportet enim, vt prætenſus ille fauor aliquod habeat fundamentum, vbi autem illud demonſtrari non poteſt, nec ratio reddi, cur hoc vel illud fauore matrimonii ita eſſe debeat, ibi tuto ſententia illa deseri poteſt, tanquam quæ ſola ſuperſtitione nititur. Niſi expreſſa lege aliquid introductum ſit, tum enim in ciuilibus ſtat pro ratione voluntas principis. His regulis totum negotium confici, & de quacunque re, quæ ſub fauore matrimonii venditur, tuto iudicari

poſſe

poſſe confidimus. Quo pertinent ſententiæ illæ Doctorum, quod ſponſalia in dubio habenda ſint pro præſentibus: quod in matrimonialibus non habet locum iuramentum ſuppletorium; quod pro matrimonio ſufficiat vnus teſtis & ſemiplena probatio: quod ſententia pro matrimonio lata non retractari poſſit, bene tamen ſi contra: quod illo caſu in rem iudicatam tranſeat ſententia, non hoc: quod in cauſa matrimonii opinio vnius Doctoris pro matrimonio, præualeat opinioni communi, quæ eſt contra; & eius generis alia, quæ a Dd. fauore matrimonii aſſeruntur, quæ tamen omnia examinare nunc tempus & ſpatium non permittit.

Bigamia capite punitur ex ratione ſacramenti.

§. XLV. Illud adhuc addendum eſt, pœnam capitalem bigamis ſtatutam pariter ex ratione ſacramenti deſcendere. Satis clare hoc innuit Carolus V. *in Conſt. Crim. art. 121.* vbi hæc verba: So ein Ehemann ein ander Weib/ oder ein Eheweib einen andern Mann in Geſtalt der Heiligen Ehe/ bey Leben des erſten Ehe-Geſellen nimmt/ welche Ubelthat denn auch ein Ehebruch/und gröſſer denn daſſelbe Laſter iſt. Und wiewol die Käyſerlichen Rechte auff ſolche Ubelthat keine Straffe des Lebens ſetzen: ſo wollen wir doch---/daß die nicht weniger denn die Ehebrüchigen peinlich geſtrafft werden ſollen. Quæ vltima verba hic de pœna mortis accipienda eſſe, quamuis alias per pœnam criminalem non ſemper pœna mortis intelligatur, communis Doctorum ſententia eſt, quæ & ex contextu illius articuli, dum illa conſtitutio iuri communi Cæſareo, pœnam mortis non irroganti, opponitur, ſatis manifeſta eſt. Videatur Carpzou. *Prax. Crim. qu. 66. n. 30. ſeqq.* Claſen. *ad d. Art.* & ceteri commentatores omnes. Rationem autem

tam

tam grauis pœnæ eſſe hanc, quia matrimonium eſt ſacramentum, patet ex ante adductis verbis. Ibi enim Carolus V. rationem in eo ponit, quod hoc crimen fiat **in Geſtalt der heiligen Ehe** / & poſtea illud grauius dicit, quam ipſum adulterium; ſcilicet quia violatur ita ſacramentum prioris matrimonii, & ſub ſpecie ſacramenti hoc crimen committitur. Hæc ergo causa eſt, quare pœnam mortis ſtatuerit. Si enim, violatio ſacramenti ex mente eius hic non ſubeſſet, hoc crimen re vera cum adulterio conueniret, nec maius eo dici poſſet.

§. XLVI. Mirum ergo eſt, quare noſtri hæc veſtigia Caroli V. tam preſſe ſequantur; partim in eo, dum etiam aſſerunt, bigamiam maius crimen adulterio eſſe, vti Carpzou. *d. qu. 66. n. 2.* Claſen. *d. l. p. 433. in fin.* partim, dum pœnam capitalem ex tam erronea hypotheſi conſtitutam retinent. Carpzouius equidem probaturus hoc delictum grauius eſſe adulterio, has rationes adducit: (1) quia hoc ipſo fides coniugalis prioris matrimonii haud parum læditur; (2) quia ille adulterium committit, qui dimiſſa priore aliam ducit. *Matth. XIX. 9.* multo magis ergo & is, qui retenta priore vxore aliam ſuperinducit: conſiſtere enim adulterium in copulatione cum ſecunda, non præciſe in dimiſſione prioris. Verum hæ rationes probant quidem adeſſe in bigamia violationem fidei coniugalis, ſed non probant eam eſſe maius crimen adulterio, quod tamen probandum erat. Non poteſt igitur alia ratio inueniri, quam illa, quod ita violetur ſacramentum. Quod ſi ergo bigamia nihil aliud quam adulterium eſt, cur illa maiorem pœnam mereatur, quam adulterium? Nemo ſane commodam ratio-

Male ergo inter proteſtantes eadem pœna retinetur.

nem præter illam modo adductam inuenire poterit. Quando itaque maritus cum meretricibus rem habet & earum viginti alit, non punitur capite, ſed pœna extraordinaria, & ſi vnam inſuper feminam matrimonio & copula ſacerdotali ſibi iunxerit, tum capite puniendus. Quis non videt, quam male hæc conſpirent? Dicis: retinenda tamen pœna capitalis, quia lege imperii ſtatuta; reſpondeo: ceſſante ratione legis & quidem vnica, vt hic, ceſſat ipſa lex. Cum ergo inter proteſtantes matrimonium non habeatur pro ſacramento, & ita bigamia non ſit grauius delictum adulterio, neque grauior pœna apud nos obtinere deberet. Satis ſuperfluæ iam apud nos ſunt pœnæ capitales, vt non opus ſit præter neceſſitatem eas augere.

Appendix de reliquiis gentiliſmi in matrimonialibus.

§. XLVII. Antequam filum diſſertationis abrumpamus, non iniucundum erit, cum hactenus de reliquiis papiſmi in matrimonialibus actum fuerit, quædam etiam colophonis vice DE RELIQVIIS GENTILISMI IN NVPTIIS ſubiicere, maxime cum tantum cœperint hodie incrementum, vt fere nullum ſine iis contrahatur matrimonium.

Eo pertinet neceſſitas copulæ ſacerdotalis.

§. XLIIX. Conſtat autem ex ſcriptoribus antiquis, apud Gentiles pariter in vſu fuiſſe copulam ſacerdotalem, vti ex Nummo Adriani, cuius inſcriptio eſt: CONIVGIVM AVG. & figura repræſentat, Imperatoris dextram iungentis Imperatrici, intermedio Sacrifico; & teſtimonio Iſidori Philoſophi, de Alexandrinis dicentis: *Non erant legitimæ nuptiæ, niſi ſacerdos Deæ inſtrumenta nuptialia manu ſua conſignaſſet*, probat Selden. *Vx. Hebr. l. 2. c. 28. p. 208. & 209.* qui etiam inde a Chriſtianis eum morem receptum eſſe, vt non ſine ſacrorum antiſtite

ſtite nuptiæ celebrentur, ſtatuit. A quo non diſſentit Hildebrand. *Tr. de nupt. veter. Chriſt.* qui ideo dicit introductam eſſe copulam ſacerdotalem, *ne Chriſtiani in nuptiis contrahendis peiores ethnicis viderentur.* & poſt pauca: *Cum igitur ethnici in nuptiis agmina Deorum adhibuerint, veteres Chriſtiani, ſimilitudine rituum, ethnicos lucraturi, quod impium erat in moribus, pudendam ſcilicet idololatriam, ſuſtulerunt &c.* Veſtigia eiusmodi ſacrificii inter gentiles vſitati etiam reperiuntur in iure Rom. *L. penult. §. 1. ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi dicitur: igne & aqua inaugurari coniuges, cuius ritus explicationem vide apud Dion. Gothofred. in *not. ad d. l. lit. I.* Hinc vero ſententia pontificiorum, matrimonium eſſe ſacramentum, ac ideo a ſacerdote neceſſario conſecrandum, forte originem traxit. Nos autem hic non hærebimus, cum illa hypotheſis pontificia a nobis ſit reiecta, & benedictio ſacerdotalis, ſi a ſuperſtitione ſua liberetur, facile tolerari poſſit, vndecunque tandem ritus ille deſcendat.

§. XLIX. Rectius inter reliquias Gentilismi referuntur illa conuiuia nuptialia, quæ communiter magnis ſumtibus parantur. Erant illa iam Theodoſii Imp. tempore tam frequentia, vt homines credere inciperent, nuptias ſine pompa illa eſſe inualidas. Quam ob rem neceſſum fuit, ſpeciali conſtitutione hunc errorem tollere, quæ reperitur in *L. 22. C. de nupt.* Frequentiſſimas autem fuiſſe apud ethnicos epulas nuptiales, ſatis notum eſt: Hinc Iuuenal. *Sat. 5.* In ſpecie conuiuia nuptialia.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna ſedet, gremio iacuit noua nupta mariti.

Hinc morem illum conuiuandi in nuptiis ortum eſſe putamus, cum nec inſtitutioni diuinæ nec S. S. conueniat.

Loquor autem non de modica cœna inter amicos, id quod nihil iniqui, ceteris paribus, in ſe continet, ſed de magnis conuiuiis eorumque luxu & pompa, vbi delicatiſſimis cibis & variis potionum generibus venter impletur, & prauæ libidines excitantur. Ita enim Ethnici ſolebant auſpicari nuptias ſuas, ne ſine Baccho & Cerere frigeat Venus, iuxta commune prouerbium, inter Chriſtianos etiam ſatis vſitatum, Recte igitur Stukius *Antiqu. conuiual. l. 1. c. 25. p. 115.* hac de re diſſerit, *verum,* inquiens, *proh dolor hodie pleraque Chriſtianorum, vt nuptiæ ita conuiuia quoque nuptialia non Deo O. M. ſed iisdem, quos Ethnici quondam coluerunt, Diis ſeu potius dæminibus, nimirum Veneri, Cupidini, Priapo, Cereri, Baccho, atque Como ſunt conſecrata. Hi ſunt Dii ſeu potius dæmones, quibus Chriſtianorum plerique in illis nuptiarum celebritatibus turpiſſime ſeruiunt: Et vt olim apud Ethnicos nuptis faces præferebantur, ita tartareæ illæ furiæ funeſtas dirasque illas ſuas prauarum cupiditatum libidinumque faces nuptialibus hominibus intentant, quibus inflammati ad quæuis ſcelera atque flagitia rapiuntur. Ex inauſpicatis itaque initiis, mirum non eſt, inauſpicatiſſima quoque funeſtiſſimaque connubia conſequi. &c.*

Item Muſica & carmina venerea.

§. L. Sed & muſicam nuptialibus conuiuiis adhibebant & hymni a poëtis confecti canebantur. Qualia nuptialia carmina *Epithalamium, hymnus & hymenæum* appellabantur. Tibiis etiam alioque Muſices genere vtebantur, vti pluribus probat Stuk. *d. l. 1. c. 25.* Eodem modo agitur in nuptiis Chriſtianorum, magnus ibi Muſicæ ſtrepitus, vt magis magisque captiua ducatur mens ſana, conuiuæque ſui ipſius obliuiſcantur. Sed & poëtæ ſe exercent, & magno numero carminum, non

niſi

niſi Venerem & Cupidinem loquentium, titillare & novos coniuges, & hoſpites, intendunt: Ita vt ſi quis ſobrius illud intueatur, vix perſuadere ſibi poſſit, hunc alium eſſe quam ethnicorum hominum cœtum.

§. LI. Quid dicam de ſaltationibus nuptialibus laſciuiſſimis apud nos conſuetis, annon a moribus & conſuetudine Ethnicorum in nos translatæ? nemo ſanus erit, qui id non affirmare teneatur. vid. Stuk. *d. tr. l. 3. c. 21. p. 612.* qui *pag. 613.* ſolidiſſime ita hac de re loquitur: *Hodie non modo apud barbaras gentes, ſed apud omnes fere Chriſtianos omnis generis ſaltationes atque tripudia, in epulis præſertim ſolennioribus ſumma cum licentia atque libidine exexercentur, quas quidem illi a Gentium ſeu petulantia ſeu ſuperſtitione hauſerunt. Omnes fere illæ antiquæ Thracum atque Græcorum turpes, obſcœnæ, laſciuæ, atque petulantes ſaltationes, quaſi poſtliminio, in Chriſtianum orbem atque eccleſiam ſunt introductæ.* Et paucis interiectis: *Sunt autem hæ Chriſtianorum ſaltationes multis nominibus vehementer improbandæ atque culpandæ. Nam primo animi concitati & quodammodo furibundi ſunt argumenta, cum Chriſtianorum animos, & ſecundis & aduerſis in rebus quietos, ſedatos & tranquillos eſſe conueniat. Deinde plerumque ex vino & compotationibus immoderatis ſaltationes naſcuntur, vt experientia teſtatur & illud Ciceronis: nemo ſobrius ſaltat.* Et poſt aliqua: *Præterea pleræque Chriſtianorum ſaltationes mixtim fiunt confuſo ſexu, quales pleræque veterum non erant (ſeorſim enim viri, ſeorſim mulieres ſaltabant) ac proinde multo maiora ſunt laſciuiæ, veneris, atque libidinum irritamenta, quam illæ veterum fuerunt -- Hinc ergo connubia multa temeraria atque illegitima, hinc concubitus illiciti, ſtupra, adulteria, inceſtus, naſcuntur.* Dolendum itaque vehementer

Et ſaltationes.

eſt, quod ethnicum hunc morem adhuc illi, qui ſaniores eſſe volunt, immo & ex Theologis nonnulli, tanquam rem honeſtam defendant, & pro hæreticis habeant, qui ſaltationes inter res licitas non referunt; prouocantes abſurdiſſime ad exemplum Dauidis, aliorumque quorundam, qui in ſacris litteris ſaltaſſe dicuntur. Verum his aliisque obiectionibus exacte ſatisfecit laudatus Stuk. *d. c. 21. p. 615.* quorſum lectorem remittimus. Neque etiam ex antiquitate chorearum & ſaltationum poteſt ad earum honeſtatem concludi, vti quidam inepte faciunt. his enim merito antiqua illa patrum teſtimonia opponimus, quibus illum morem exprobrarunt, quod etiam agnoſcit Hildebrand. *de nupt. Vet. Chriſt.* vbi dicit: *de quibus* (ſc. choreis) *patres plerique, fateor, ſiniſtre ſentiunt, vt dubitem, an in tota S. S. Patrum corona vel vnus produci queat, qui choreas laudauerit.*

Concluſio totius diſſertationis.

§. LII. Sed nunc vela contrahimus, ac colophonem huic diſſertationi imponimus. Equidem non ignoramus, longe fuſius hæc a nobis peragi potuiſſe, tandem vero finis etiam reſpiciendus erat. Fatemur plures adhuc caſus a nobis intactos relictos fuiſſe, in quibus illius falſi principii, quod matrimonium ſit ſacramentum, reliquiæ reperiuntur: aſt illos vnusquisque facile ex fundamentis hactenus propoſitis diiudicare poteſt. Proinde omnia nunc B. L. cenſuræ ſubmittimus, certa ſpe freti, fore, vt prudentiores benigne nobiscum acturi ſint, neque male interpretaturi, ſi etiam nobis hinc inde humani aliquid contigerit. Zoili dentes fusque deque habemus, qui non gloriam captamus, ſed veritati tantum ſtudemus. Interim ſi qui meliora demon-

demonſtrare poſſunt, eos ſequemur promtiſſime, qui per omnem vitam diſcere & erudiri cupimus. Deo autem O. M. fonti omnis ſapientiæ & veritatis, pro præſtitis nobis in hoc labore animi corporisque viribus, immortales decernimus grates. Huic ſoli debentur ea, quæ bona ſunt, nobis vero errores & ſphalmata. Impleat nos diuino lumine ſuo benigniſſimum Numen, vt magis magisque proficiamus in veritate & iuſtitia, omnesque actiones noſtræ vnice tendant ad diuini nominis ſui gloriam, & miſeri proximi noſtri emolumentum.

FINIS.

INDEX REALIS.

Primus numerus cap. Secundus §. Tertius pagin.

Apoſtoli

SVas epiſtolas ad totum populum Chriſtianorum ſcripſerunt. 1.2.2.

Bellarminus

SIbi ipſi contrarius. 1.7.90.
Ignarus linguæ Hebraicæ. 1.7.8.
Notatur. ibid.

Benedictio ſacerdotal.

EST forma matrim. 3.3.78.
nullius efficaciæ. 3.18.92.
eſt gentilis. 3.48.128.
diuina non facit ſacramentum. 3.20.94.
eſt ludibrio. 3.35.112.

Bigamia

ESt capitalis. 3.45.127.
idem ac adulterium. 3.46.127.
capitalis pœna reiicitur. ibid.

Carmina

NVptialia reiicienda. 3.50.130.

Carpzouius

EXcuſatur. 1.15.47.
ſibi contradicit. 2.18.50. & 2.13.46.
papizat. 2.10.42.

Chriſtiani

OMnes ſpirituales. 1.2.2.

Clauſula

CAſſatoria obſeruanda. 3.43.123.

Cœlibatus

PRæſtat matrimon. 3.30.103.
Deus auctor. 3.3.104.
nec prohibitus. ibid.
æque honeſtus ac matrim. ib.
neceſſarius. 3.30.104.

Concilia

MVltos errores firmarunt. 1. 35. 29.

Concubitus

NOn producit obligationem. 2. 26. 59.
non præſupponit matrimonium. 2. 26. 58.
cum meretrice non facit matrimonium. ibid.

Coniuges

DEus coniungit. 3. 21. 95.
ſed non omnes. 3. 21. 96.
abſtinendum a fornicatione. 1. 29. 24.
dignitas coniugum. 2. 21. 55.

Coniunctio

SPiritualis inter virum & vxorem. 2. 29. 24.

Conſcientiæ

CAſus ſibi vendicant Theologi. 2. 4. 33.
aliorum iudicio non ſubiicienda. ibid.
nouis grauantur dogmatibus. 1. 13. 15.
forum nullum agnoſcit. 2. 4. 33.

Conſecratio

SAcerdotalis nullius valoris. 1. 7. 9.

Conſenſus

ECcleſiæ incertus. 1. 35. 28.
matrimonialis facit nuptias. 2. 12. 44.
non concubitus. 2. 11. 43.
matrimonialis eſt in deſponſatione. 1. 2. 44.

Conſtitutio

CArolina papiſtica. 3. 30. 114.

Conſiſtoria.

EOrum origo & progreſſus. 2. 6. 38.

Copula

CArnalis non purgat clandeſtinitatem. 2. 29. 65. & 3. 35. 111.
non facit actum indiſſolubilem. 3. 28. 102.
ſacerdotalis eſt de eſſentia matrim. 3. 33. 108.
in eccleſia non neceſſario peragenda. 3. 17. 90.
eſt inuentum pontific. 3. 2. 76.
origo. 3. 2. 77.
rationes eiusdem. 3. 3. 77.

ſecu-

INDEX REALIS.

ſeculi tertii. 3. 11. 85.
ſeculi quarti. 3. 12. 86.
hodierna. 3. 17. 91.
permittitur in ædibus priuatis. 3. 17. 92.
eiusdem vis. 3. 32. 106.
non fuit tempore patriarcharum. 3. 7. 81.
huic nimium tribuitur. 3. 4. 79.
eſt inſtitutionis diuinæ. ibid.
eſt myſterium. 3. 5. 80.
origo ex paradiſo. 3. 6. 80.
non fuit tempore Moſis. 3. 8. 82.
nec eccleſiæ Noui Teſtamenti. 3. 9. 83.
tempore apoſtolorum recepta. 3. 10. 84.
non vbiuis recepta. 3. 13. 87.
ſec. 9. lege publ. introduct. 3. 13. 88.
fit in eccleſia, 3. 15. 89.
& eſt ex reliquiis ſacramenti.

Contractus

NOn poteſt priorem obligationem tollere. 2. 17. 50.

Controuerſiarum

DIsquiſitio ICtis competit. 1. 2. 3.
iisdem denegatur. ibid.

Conviuia

NVptialia ſunt ex gentiliſmo. 5. 49. 129.
mos couiuandi. ibid.
luxuria. ibid.
deliciæ. ibid.

Deus

IN matrimonio non ſemper intereſt. 2. 4. 32.
non coniungit per ſacerdotes. 3. 22. 95.
ad matrimonium concurrit. 3. 21. 96.
non omnis matrimonii cauſa. 3. 21. 95.
coniuges copulat. 2. 4. 32.

Dominatus

PAPalis. 1. 2. 3. 3. 12. 87. 3. 3. 77. & tyrannis. 2. 7. 40.

Donum

DEi non eſt ſacramentum. 1. 29. 25.

Eccleſia

PEr ignorantiam multa recepit. 1. 18. 17.
corruptiones. 1. 35. 29.
idem quod templum. 3. 15. 89.
ſine multi errores. ibid.
damnum capit ex mala informatione. 1. 10. 13.

Educatio

INter Chriſtianos praua. 1. 33. 27.

Entia

NOn multiplicanda. 2. 9. 42.

Euchariſtia

NOn vocatur ſacramentum in S. S. 1. 5. 6.
& baptiſmus non opus eſt, vt vno vocetur nomine. 1. 12. 14.

Fœmina

COrporis ſui copiam faciens. 2. 29. 65.

Fidelium

IVs ſibi inuicem benedicendi. 3. 7. 82.

Figura

NOn eſt res figurata. 2. 4. 33.

Gerhardns

NOtatur. 1. 28. 23.

Gratia

ESt remisſio peccatorum. 1. 24. 20.
Dei requiritur ad educationem liberorum. 1. 33. 27.
promiſſio non facit ſacramentum, 1. 24. 21.
quælibet non ſufficit. 1. 33. 27.
non pendet a coniunctione ſpirit. 1. 29. 24.
intuitu fidei conſequimur. ibid.
Deus nonnullis coniug. largitur. ibid.

Homines

NOn iudicabuntur in extremo iudicio ſecundũ Theol. ſententias. 1. 2. 2.

Honeſtati

PVbl. non contrarium, quod non fit publice. 2. 21. 53.

ICtorum

IN Theologia ignorantia. 2. 6. 38.
ſunt miſeri, ſi Theolog. arbitrio ſtare teneantur. 1. 2. 3.

Ignatii

EPiſtola ſuſpecta. 3. 10. 84.

Imago

NOn eſt ipſe homo. 1. 27. 23.

Iniuria

DEfloratæ infertur. 2. 28. 62.

Inſtitutio

IN fide pertinet ad Chriſtianos. 2. 33. 27.

INDEX REALIS.

Iudex

SEcul. de matrimonio iudicare poteſt. 2. 4. 34.

Iuramentum

COntra matrimonium nullum. 2. 40. 75.
ex ratione ſacramenti. ibid.

Iurisdictio

SEcul. & eccleſiaſt. non datur. 2. 6. 36.
orgo huius diſtinctionis. 2. 6. 37.

Ius

NAturæ & poſitiuum. 3. 39. 118.
Canon. auctoritas nulla. 2. 7. 39.
falſis hypotheſ. nititur. 2. 7. 39.
defenditur. ibid.
non conuenit cum ſtatu noſtr. eccleſ. ibid.
plus mali quam boni habet. ibid.
Epiſcopalis origo. 2. 7. 37.
poſtliminii. 2. 6. 37.

Laicorum

ORigo. 1. 2. 2.
& Clericorum diſtinctio nulla. ibid.
Spiritus S. omnes vocat Clerum. ibid.

Liberorum

FAuor. 2. 29. 64.

Libertas

SPiritus a carne diſcernenda. 1. 12. 14.
Chriſtiana in eccleſia. ibid.
ad abſurda ſe non extendit. ibid.
loquendi controuerſiarum origo. 1. 28. 23.

Lingua

HEbraica non eſt primæua. 1. 6. 7.
quæ fuit puriſſima. 1. 6. 8.
Hebraic. & Græc. antiquitas. 1. 6. 7.

Litteræ

NVptiales notantur. 3. 18. 92.

Lutherus

VOluit ex I. C. deciſ. matrimonii peti. 2. 7. 39.

Matrimonium

EStres ſpiritualis. 2. 2. 30.
Caſus conſcientiæ concernit. 2. 4. 33.
V. T. fuere firma. 1. 33. 27.
donum Dei. 1. 29. 24.

cauſæ ſpectant ad iudic. eccleſ. 2. 2. 30.
eſt ex reliquiis ſacramentorũ. 2. 3. 30.
eſt ſimul contract. ciuil. & ſpirit. 2. 5. 32.
in tribus eius eſt ſpiritualitas. 2. 4. 32.
impium Deo abominationi. 2. 4. 33.
a reliquis negotiis differt. 2. 4. 34.
non eſt res ſpiritualis. 2. 5. 34.
eſt res mere ciuilis. 2. 5. 36.
eſt figura myſterii. 2. 4. 33.
tria bona matrimon. 1. 31. 25.
ad iudicium ciuile pertinet. 2. 5. 35.
initur de re externa. ibid.
inter res ſacras fuit. 1. 34. 28.
Patres dicunt ſacramenta. 10. 30. 25.
de præſenti non ſunt ſponſalia. 2. 9. 41.
iniuſtum etiam matrimon. 2. 29. 65.
eſſe ſacramentum eccleſiæ ignotum. 1. 31. 25.
finis procreatio ſobolis. 1. 33. 27.
multa impediunt, quæ nos diſſol. 2. 26. 59.
habet promiſſ. gratiæ. 1. 29. 24.
eſſe ſacramentum probat Bellarminus. 1. 25. 21.
non eſt actio ſacramentalis. 1. 28. 23.
Paulus non dicit myſterium. 1. 26. 22.
eſt ſignum Chriſti & eccleſiæ. 1. 27. 23.
eſt ſignum ſacrum 1. 26. 21.
non contractus ciuilis. ibid.
eſſe ſacramentum non poteſt probari. 1. 26. 21.
gratia diuina non deſtituitur. 1. 24. 21.
materiam pontif. dicunt perſonas. 1. 2. 2.
materia eſt copula carnalis. 1. 22. 20.
non habet mandatum diuinum. 1. 23. 20.
non inſtitutum vt ſacrament. ibid.
non habet promisſionem gratiæ. 1. 24. 20.
indiſſolubile cauſa copulæ ſacerdot. 3. 25. 99.
& copulæ carnalis. 3. 26. 100.
Gentilium & Iudæorum. 3. 20. 95.
in ſe non eſſe ſanctum. 3. 19. 92.
dicitur indiſtincte ſanctum. 3. 18. 92.
impiorum Deus permittit. 3. 21. 95.

Deus inſtituit cum benedicti-one. 3. 20. 94.
clandeſtinum differt ab eo, quod in ædibus priuatis. 8. 17. 91.

Contractum

IN conſpectu eccleſiæ fiebat. 3. 10. 85.
character ſpiritualis. 2. 37. 73.
ſine paroch. contractum, nullum. 3. 3. 78.
eius miniſter. ibid.
præſtat cœlibatui. 3. 29. 103.
Deus paranymphus. 3. 29. 103.
neceſſarium eſt. 3. 30. 104.
eſt negotium mere conſenſuale. 3. 33. 108.
fraude & dolo commiſſum. 3. 33. 110.
inuitis parentibus contractum nullum. 3. 54. 111.
non tamen reſcind. ſi cop. ſacerd. acceſſit. ibid.
multa impediunt, quæ non diſſoluit. 3. 35. 111.
impediens illud etiam dirimit. 3. 36. 112.
non reſcind. contra Leu. 18. contract. 3. 37. 114.
licet copul. carn. acceſſerit. 3. 37. 115.
non vero ſacerdotalis. ibid.
putatiuum. 3. 41. 118.
dolo contractum. 3. 41. 119.
irritum redditur. 3. 41. 121.
dolus impedit. 3. 40. 119.
fauor matrimonialis. 3. 44. 123.
reiicitur. ibid.

Miniſterium

IN eccleſia vnicum. 1. 2. 3.

Muſica

NVptialis reiicitur. 3. 50. 130.

Myſterium

ORigo huius vocis 1. 5. 5.
multos peperit errores hæc vox. 1. 5. 6.
Hebræis debemus. 1. 6. 6.
idem quod ſacramentum. 1. 15. 15.
& ſacramenti vſus promiſcuus. 1. 5. 5.
variæ ſignificationes. 1. 7. 10.
vſus huius vocis. 1. 8. 11.
ſuperſtitioſa hæc vox. ibid.

Negotium

CIuile eiusque deſcriptio. 3. 19. 93.
a Deo inſtit. non ſtatim dici poteſt ſpirituale. 2. 4. 32.

Nuptiæ

SVnt coniunctio indiſſol. 1. 31. 25.

Ob-

Obſequium

PArentibus & Magiſtrat. præſtandum. 2.4.32.
liberorum. 3.20.94.

Occaſio

DElinquendi maxima 3. 37.115.

Officia

ICtor.& Theolog. diſtincta. 1.2.3.
inſtituendi liberos omnibus competit. 1.35.27.
Chriſtianorum iura ſunt ſacram. 1.24.21.
externum non reddit ſpiritualem aut mundanum. 1.2.2.
hominum inter ſe. 2.4.32.

Paranymphus

FVit Deus. 3.6,80.

Parentes

OPtimi immorigeros habent liberos. 1.33.27.

Parochi

PRæſentia in ſponſalibus ſuperſtitioſa. 2,20.52.

Paulus

NOtatur. 3,16,114.

Polygamia

ESt ſacramentum. 1.31.26.
illicita. 1.31,25.

Pontificii

VVlgata decepti. 1.25.21.
eorum aſtutia. 2.6.37.
negotia ciuil. pro ſpirit. habent. 2.5.35.
diſpoſitio in ſucceſſione. 3.3.77.
principia male cohærent. 2.32.107.
cum S. S. non conueniunt. 2.7.39.

Proclamatio

FRuſtranea. 3.33.109.

Procreatio

SObolis includit educationem. 2.33.27.

Prohibitio

DIuina. 3.39.117.

Pudicitia

REſtituitur per matrimonium. 2.26.58.
deſcriptio. 2.26.59.

Ratione

NOn auctoritate pugnandum. 1.26.22.

Repu-

INDEX REALIS.

Repudium

PErmittendum. 2. 39. 75.

Res

SEcul. non poteſt eſſe figura myſterii. 2. 4. 32.
impiæ non reddunt actum iuſtum. 2. 29. 64.
eccleſiaſt. a ſecul. diſtinctæ. 2. 6. 28.
ſpiritualium natura. 2. 5. 74.

Ritus

ECcleſiaſt. in priuatis ædibus fieri poteſt. 3. 7. 90.

Sacramentum

NOn eſt, quod a patr. rebus ſanct. iunctum. 1. 34. 28.
non facit miniſterium ſacerdot. ibid.
copula carnali initur. 2. 25. 57.
vocis vſus. 1. 8. 11.
definitio. 1. 20. 18.
titubant circa hanc pontific. ibid.
eſt ens rationis. ibid.
definitio difficilis. 1. 20. 18.
requiſita. 1. 21. 19.
Pontif. de his conueniunt nobiſcum. ibid.
requiſita vera. ibid.
non conueniunt matrim. 1. 22. 19.
& myſterium non eſt vnum. 1. 25. 21.
vox hæc in eccleſiam introducitur. 1. 5. 5.
admittit libertas Chriſtian. 1. 12. 14.
poteſt ſine ſcandalo eccleſ. vti. ibid.
introduxit ſumma neceſſitas. ibid.
Hebræor. denominationes. 1. 6. 8.
hac voce non comprehend. euchariſtia & baptism. 1. 8. 11.
vox occaſio multar. controuerſ. 1. 9. 12.
pauci intelligunt. 1. 10. 13.
vox gentil. ab hominib. excogit. 1. 10. 12.
cum fructu poteſt reiici. 1. 9. 12.
in S. S. non occurrit. 1. 23. 15.
recte retinetur. 1. 14. 15.
rectius ſigillum & medium dicitur. ibid.
eſt vocabulum ἄγραφον. 1. 8. 11.
Hebræor. non erant ceremoniæ. 1. 7. 9.
ex voce orta controu. de num. ſacram. 1. 19. 18.
vox in vulg. occurrit. 1. 8. 11.
plura dantur quam ſeptem. 1. 15. 16.
ex S. S. non poteſt probari. 1. 16. 16.
Euchariſt. & baptism. non ita vocantur. ibid.
vox antiquiſſima. 1. 17. 16.
Eccleſſiæ retinuerunt. 1. 18. 17.

non eſt ἀντίγραφον. 1. 13. 14.
late patet. 1. 14. 15.
obſcurat. ibid.
vſurpanda hæc vox. 1. 15. 15.
negatur. 1. 15. 16.
Lutherus abhorret hac voce. 1. 9. 12.
Zwinglius reprehendit. 1. 15. 17.
Melancht. vſus eſt hac voce. 1. 18. 17.
Lutherus approbat. ibid.
non poteſt comparari cum ſigillis. 1. 10. 13.
non opus eſt hac voce. ibid.
neceſsitas non introduxit. 1. 12. 24.
ſine ea Euangel. potuit prædicari. ibid.
temp. Apoſt. fuit incognita. ib.
vocis origo. 1. 3. 4.
ſignificationes. 1. 4. 4.

Sacerdos

Habet characterem indelebilem. 2. 57. 73.
officium. 3. 3. 77.

Saltationes

Nvptiales turpes. 3. 51. 131.

Scandalum

Soluit matrim. 3. 10. 110.
euitandum. 2. 28. 62.
prætenſum. 3. 36. 113.

Scortatio

Non facit matrim. 3. 27. 101.

Scriptura S.

Non omnibus tractare licet. 1. 2. 2.
habet voces militares. 1. 16. 13.
non habet vocem Euchariſt. & Baptiſmum ſimul denotantẽ. 1. 12. 14.

Figuræ

V. T. non ſunt ſpirituales. 1. 29. 24.
non ſunt de eſſentia rei. 1. 29. 24.

Sponſus

Vocatur gener. 2. 12. 45.
Maritus dicitur. 2. 11. 43.

Sponſa

Dicitur vxor. 2. 11. 45.
& vxor conueniunt. 2. 12. 45.

Sponſalia

Vel de præſenti vel de futuro. 2. 7. 40.
de præſent. ipſum matrimon. 2. 8. 40.
initiatum ſacramentum. ibid.
per benedict. ſacerd. conſummantur. ibid.
diſtinctio de præſ. & fut. inutilis. 2. 9. 40.
noſtris moribus inconueniens. 2. 9. 41.
de futuro ſunt condit. & de præſ. pura. 2. 9. 42.

ſunt

ſunt paction. de fut. ſponſal. ibid.
diſtinctio de præſ. & fut. litibus occaſion. ibid.
de præſ. non ipſum matrim. ibid.
indiſſolubilia. 2. 10. 43.
inire & matrim. differunt. 2. 12. 44.
de præſ. præfer. prior. de fut. 2. 13. 47.
pura poſter. præferuntur condit. priorib. 2. 16. 48.
obligatio oritur ex conſenſu. 2. 23. 55.
condit. pendente non ſoluenda. 2. 18. 50.
conditionata etiam ſunt ſponſal. 2. 17. 50.
clandeſt. non conualeſcunt ex confeſſ. 2. 22. 54.
conualidantur concubitu. 2. 25. 56.
publ. requirunt parochi præſent. 2. 19. 51.
ſine parent. conſenſu facta inualida. 2. 27. 60.
niſi copula carnalis acceſſerit. ibid.
clandeſtina obligant æque ac alia. 2. 20. 52.
niſi lege publica prohibita. ib.
publicorum requiſita. 2. 19. 51.
clandeſtina inualida. ibid.
binis publ. contract. præferuntur poſteriora, ſi copul. ſacerd. acceſſerit. 3. 31. 110.
quod omnibus aduerſum. ibid.
Sponſal. clandeſt. publice poſteriora præferuntur. 2. 30. 66.
Sponſal. publ. poſter. prærogatiua nec ex I. C. nec I. N. deriuari poteſt 2. 30. 67.
Sponſ. priora poſterioribus præferuntur. 2. 31. 67.
Sponſal. clandeſtina obligant. ibid.
Ratio ex mero euentu non concludit. 2. 31. 68.
Sponſal. clandeſt. improbant. 2. 32. 68.
Sponſal. clandeſt. cum connub. præferenda poſterior. publ. 2. 33. 68.
Sponſal. difficulter ſoluuntur. 2. 35. 70.
Deſponſati compellendi ad matrim. 2. 35. 70.
ſponſal. facilius quam matrim. ſoluuntur. ibid.
iudicis offic. circa deſponſatos. 2. 35. 71.
Sponſal. coacta luctuoſa. ibid.
Matrim. reſpicit ad ætern. ſalut. ibid.
Sponſal. conſenſu poſſunt ſolui. 2. 36. 71.

Spuriis

PArcendum. 2.29.64.

Status

INnocentiæ. 3.20.95.

Subditorum

OBligatio. 3. 42. 122.

Superſtitio.

COmmunis. 3. 36. 113.

Theologi

COnſil. ſemper poſſunt ex-peti. 2. 6. 39.
in Conſiſtor. adhibentur. 2. 6. 38.
eius ratio. ibid.
non neceſſario requiruntur in Conſiſtoriis. 2. 6. 39.
Theodid. rerum Theol. ſibi non arrogant monopolium. 1. 2. 3.

Transactio

INter deſponsat. reiicitur. 2. 38. 73.

Venditor

DVrante condit. non poteſt denuo vendere. 2. 17. 50.

Verbis

DE futur. non contrahitur matrim. 2. 8. 40.

Virginitas

NOn poteſt reſtitui. 3. 35. 111.

Vitii

PErſonæ non poſſunt ipſam rem reddere vitioſam. 3. 17. 92.

Voce

EVchariſt. & Baptism. coniunctim. denot. opus eſt. 1. 12. 14.

Vmbra

NOn eſt corpus. 2. 4. 32.

Vnio

SPirit. non eſt ſacrament. 1. 29. 24.